

# IMPERATORIS LEONIS AUGUSTI NOVELLÆ CONSTITUTIONES AUT CORRECTORIAE LEGUM REPURGATIONES.

Henrico Agylæo Interprete.

## P R O E M I U M .

**R**erum humanarum vicissitudo, vitaque inconstans atque multiformis status, permultis ac omne genus Legibus ortum præbuere: quæ Leges, quia sua multitudine ad quascumque se facile res protendunt, quum illas sibi admovent, quidquid recte aut secus sese habeat, dijudicant. Sunt itaque tamquam custodes quidam vita nostra & medici : dum mala, partim ne orientur ac in communem vitam promanent, impediunt : partim vero quæ mala occulta sunt, insinuanturque irreperunt, eorum noxam corrigunt, ac velut radicitus vitiositatem evellunt, eamque non sinunt corroborari. Atqui earumdem humanarum rerum cursus velutique reciprocus quidam ætus dum sursum deorsum omnia vertit ac volvit, & multa, quæ recte constituta es- sent, in pejus commutat, permulta item oblivione obruit, ut perinde, ac si in rerum natura visa nunquam essent, ineognita sint: non mediocrem illis labem intulit, has profundo silentio tegendo, in illis vero, ut inter sese dissentiant, efficiendo: idque alias, dum illi ipsi, qui illas tulerunt, in priore sententia ac voluntate non persistunt, verum sibi ipsi contradicunt: alias etiam, dum posteriores modo consuetudine, modo Lege illis contraria sustinent, at hinc confundi Leges, nec exiguum rebus mortalium inferri detrimentum contingat, aliis cum aliis commutatis, talorumque instar huc illuc temere volventibus. Illas itaque res, ex quarum tranquillo & imperturbato statu salus Reipublicæ dependet, in tanta confusione perturbationeque versati: indignum neglectu rati, quam accuratissima Leges inspectione ac consideratione dignati sumus: & quas obtinere conducibile fore animadvertisimus, illis selectis, scripto Imperatoriz nostræ Majestatis decreto in Republica auctoritatem confirmavimus: utque controversias dijudicarent, insuper etiam scivimus: quas vero inutiles judicavimus, harum nonnullas in perpetuum silentium conjectas, decreto & ipsas a Legum honore atque ordine exulare jussimus; quarum autem nullam profructus mentionem fecimus, has etiam, hoc ipso quod earum non meminerimus, juxta atque illas in exilium ejecimus. Denique quoniam & inter receptas consuetudines nonnullas ratione non destitui, talesque, quales prudens aliquis non contemnat, vidi- mus, has quoque Legis prærogativa honestantes, ex inscripta consuetudinis statu ad Legis imperium atque honorem eveximus. Quum ergo hæc ita a nobis comparata sint, sciat quisque, quod quæ Leges per scriptum Imperatoriz nostræ Majestatis decretum auctoritatem naæ, aut quæ consuetudines Legis dignitate hono- ratæ fuerint: hæc & in Republica obtinebunt, & controversias in se suspensas habebunt: quæ autem ab illis in contrarium vergunt, aut mentione sempiternam illis taciturnitatem injungente, citrave hanc etiam, ut quæ cum despactis ejusdem conditionis sint eodem decore dignæ habitæ sunt: hæc vero dehinc & rejectæ, & a Republica exales atque extorres erunt.

## C O N S T I T . I.

Q U O D U N U M Q U E M Q U E , Q U I J U D I C A N D I P R E R O G A T I V A M A C C E P E R I T , Q U E M A D M O D U M L E G A L I U M C A P I T U L O R U M A N O B I S H A B I T U S D E L E C T U S S T A T U E R I T , D I R I M E R E C O N T R O V E R S I A S O P O R T E A T : Q U æ V E R O I N T E R R E - P R O B A T A I H A B I T A S U N T , U T I E X I L L I S N U L L A L I T I S A M B I G U I T A S D I J U D I C E T U R .

*In nomine ejus, qui universo humano generi salutares Leges tulit, Christi veri Dei nostri.*

*Imperator Cæsar Flavius Leo, pius, felix, inlytus, Victor, Triumphator, omni ævo venerabilis, Augustus, fidelis Rex: Styliano illustrissimo sacrarum nostrorum officiorum Magistro.*

Celeberrimi ille inter Imperatores nominis Justinianus, quum animo esset erga Rempublicam & optimo, & ejus utilitatum studio fissi. velut sylvam quamdam, Constitutiones in Romano Imperio inde ab initio usque ad suam statu diversis temporibus editas accipiens, quo bene de subditis mereretur, industria & laboribus suis opus admiratione dignum, universarum nempe Legum illam incorporationem, summa cum contentione efficere est conatus. Si quid contrarium, aut inconveniens appareret, repargavit: ex quibus vero compositum Reipublicæ ac decorum statum exstitutum crederet, hæc in unum contexit, atque velut in artem aliquam informavit, quasi in una justitia libra, a qua justum a diverso & injusto discerneretur, constituit & collocavit. Atqui (ut constat) ubique est pulcherrimum, Ut ne quid nimis. Quum namque in multas partes divisam Legum substantiam ac materiam in unum corpus tanta cum laude coagmentasset, præterea etiam, quæ legalis regiminis ordinem & convenientiam sapientiæ la- befactarent, in concordiam redigisset: itaque quod ad hæc sola omnes sententiaz ferendæ essent, in unum consensum judices compulisset, eosque ad pacifice judicandum, legalibus capitulis in tranquillo & ab omni contentione libero statu constitutis, inter se conciliasset: his ille non contentus, sed præstantius quippam in Reipublicæ gratiam postmodum conficeret cogitans, imprudens iis, quæ postea statuit, primum opus evertit: neque alterum vituperationi non obnoxium fecit, cum ex posteriore ipsius instituto non paucæ adversus prius suscitatae contradictiones & controversiaz sint. Atque ad hunc sane modum ipse Justinianus a se ipso vitium passus est. Certe quidem cum usque ad hodiernum diem nunc ex recentioribus sanctionibus, nunc ex inscriptis, & non aliunde, quando & quod multitudini placeant, auctoritatem præ se ferentibus consuetudinibus, permulta ab illo tempore innovata sint: parum abest, quæ res legalis profructus turbata confusaque sit, & communis vita negotia sursum deorsum subsultim ferantur. Quapropter cum & quid aliud, hæc certe, quod opitulatrice nostra industria & cura necessario potiatur, dignum sit \*\* tractatum insuper & consuetudinibus, quæ ad rerum gubernationem devenissent, diligenter excusis, Legum inter se contradictionem sustulimus: quicquid adversarium & ad præsentem rerum constitutionem rationemque illicitum esset, huic legalem auctoritatem abrogantes: quæcumque vera consuetudines non male, neque noxiæ de rebus constituere videantur, has non amplius inscriptas & neglectas consuetudines manere sivimus, sed ad Legis vim ac potestate extulimus: alicubi autem & ad savigiam quiddamque præfractus spectantem, ac seu justitiae penitus oblitam Legem, ad suum decentemque modum

Legibus debita cum æquabilitate contraximus. His itaque hoc pacto dispositis & constitutis, omnibus, quibus justitiae tractantur commissæ sunt. & magistratibus & judicibus mandamus, ut, quæ Leges ab Imperatoria nostra Majestate a legali solo exulare jussæ sunt, has inutiles judicantes, dehinc in omne ævum rejici finant: secundum reliquas vero scriptas atque veteres, & quæ haud ita pridem a sempiternæ memoria Patre nostro, atque nunc a nobis selectæ, aut latæ sunt, controversiis dijudicationes suppeditent, neminiisque posthac ad aliquam a legali auctoritate exterminatam juris speciem declinare, neque ad consuetudinem quampiam, quæ accepta prærogativa pro ea, quod consuetudo esset, ac diceretur, ad Legis majestatem & honorem a Potentia nostra subiecta non sit, recurrere permittatur.

## CONSTITUT. II.

**UT, QUI CETERA SECUNDUM SACROS DIVINOSQUE CANONES EPISCOPALI DIGNITATE DIGNUS ESSE PROBATUS, SI LIBERI EX LEGITIMO MATRIMONIO ILLI SINT, OB ILLOS IN CONSEQUENDO HONORE NULLUM IMPEDIMENTUM SENTIAT.**

Aliter,

**UT, QUI ALIOQUI PRINCIPALE SACERDOTIO DIGNUS EST, SI LEGITIMI ILLI LIBERI SINT, NON IMPEDIATUR ILLUM CONSEQUI.**

*Idem Imperator Stephano sanctiss. Constant. Archiepiscopo & Patriarchæ universali.*

Cum sacrosancti divinique Canones, & quicumque alii de Sacerdotio ac Episcoporum creatione statueret, in optimum numerisque omnibus plenum editi sint modum (& quidem quomodo illi non exacte perfecteque editi sint, quum divina inspiratio in auctoribus efficaciter operata sit) mirari subit, quomodo non veriti nonnulli sint, sacras divinasque Leges, tamquam illæ absolute non essent, promulgatis aliis Legibus abrogare. Etenim cum sacri Canones, quibus locis de Episcoporum creatione prescribunt, statuant, eum, qui ex legitimo matrimonio liberos habeat, si modo in reliqua vita ratione nihil impedimenti sit, ad primarium Sacerdotium promoveri posse: hi in contrarium statuentes i ajunt, ut ii, qui liberos habent, tametsi legitimi conjugii munus sint, ad episcopalem dignitatem evadant, suo impedimento non vacare. Quod ideo fortasse in animum induxerant, quod istiusmodi affectione quadam erga liberos (quid enim quis aliud dicat?) sacras facultates oblastrus videatur. Verum non recte sese illa ratio habet. Sic namque ne fratribus aliisve cognatis superstitibus accessum quisquam ad Episcopatum haberet: siquidem & ad hos sanguinis propinquitatisque affectio respicit. Quin & hoc praevidentes divini Canones, fecerunt Episcopis potestatem, ut si ipsis pauperes cognati essent, illorum inopiam ex sacris facultatibus sublevarent. Nostra igitur Imperatoria, quæ ex Deo est Majestas, si mandatis divinis insistatur, id longe convenientius fore animadvertis, consonam illis profert Legem: ut quemadmodum ipsi videtur ad primarium Sacerdotium promoveri posse 2, qui illo honore alioqui dignus sit, tametsi liberi ipsi, Lege tamen honorati sint: id ita liceat: & ita quidem censens, ut a lege, quæ contradicere ausa fuit, in audaciæ poenam perpetuum in futurum exigatur silentium.

## CONSTIT. III.

**UT, QUI SACERDOTES CREANDI SUNT SECUNDUM ECCLESIAE RITUS, EA LEGE CREENTUR, UT OMNEM DEINCEPS VITAM COELIBEM AGANT; AUT, SI MATRIMONIUM CONTRAHERE VELINT, PRIUS ID FACIANT, AC DEINDE AD CREATIONEM PROCEDANT.**

Aliter,

**QUOD ANTE INEUNDUM SACERDOTIUM MATRIMONIUM CONTRAHICI DEBEAT.**

*Idem Imperator Stephano sanctiss. Constant. Archiepiscopo & Patriarchæ universali.*

Dum decenter inde ab initio de iis, qui faciendis Deo sacris digni essent, ecclesiasticus ordo constituerit, non recte (meo quidem iudicio) qui praesentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum ecclesiasticam traditionem contemnunt. Nam ubi illa mandat, ut, qui creandi Sacerdotes sunt, aut per omnem vitam, si

promissum non falsum fore fidant, coelibatum voveant: aut, si illum servare impossibile ipsis videatur, legitimum matrimonium ineant, ac deinde divinum Ministerium suscipiant: consuetudo, quæ in praesenti obtinet, iis, quibus matrimonio conjungi in anno est, concedit, ut 1, antequam uxorem duxerint, Sacerdotes fieri possint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti praefituit. Id igitur, quia indecorum esse videamus, jubemus, ut ad vetus Ecclesiæ & antiquitus traditum prescriptum dehinc creationes procedant. Neque enim dignum est, ut, qui spirituali ascensi supra corporis abjectionem & sordes eveniunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur: sed e diverso, ut divinum Ministerium ex corporis sordibus tamquam in altum aliquem gradum concendat, convenientius fuerit.

## CONSTIT. IV.

**UT NON MODO UNIVERSALIS ECCLESIAE SACERDOTES, VERUM ETIAM QUI AD QUAMCUMQUE SACRAM ADEM PERTINENT, SI IN HOC VOCENTUR, LICITE SACRA MYSTERIA I EXPONERE, DIVINUMQUE CULTUM CELEBRARE DOMI PRIVATAE POSSINT.**

*Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantiop. Archiepiscopo, & Patriarchæ universali.*

Placuit veteribus, ut, quæ sacrificia & communiones in privatis ædibus fiunt, ab illis Sacerdotibus, qui ad generales Ecclesias pertinent, solis celebrentur, ab aliis vero, qui alicui alii sacræ ædi addicti deserviunt, privatoque vita in statu sunt, ut nullum neque officium, neque sacrificium perficiatur. Atque hoc quidem ut statuerent, religionis conservandæ causa in mentem illis venisse videtur, quo videlicet (ut conjicere est) dum nonnulli sacerdotii praetextu lethale defectionis malum tegunt, usu non veniat, ut, qui profani sacrificii participes fuerint, longe magis contaminentur, quam expientur. Qui profecto eorum, qui istiusmodi religioni cautionem excogitarunt, propositus finis hoc ipso nomine, quod sacrosancta fidei stabilimentum adinvenerint, simul laudabilis, simul commendatione dignus est. Verumtamen quatenus se firmitatem allatuos existimarunt, eatenus illam ex Lege promulgasse atque se extendisse non videoas. E diverso vero subinde illam ipsam Legem religiosis & divinis Ministeriis operam navantibus etiam adversari conspicitur. Ut autem pollutus Sacerdos, qui notus non est, pollutæ suæ inquisitionis aliquem participem faciat, verisimile fortasse est aliquando id evenire: verum non ita, ut semper & omnino tale quiddam contingat. Quis enim animo tam facili est, tamque omnia promiscua habet, ut, quem non norit Sacerdotem, neque cuius religionis, neque quibus moribus sit, hunc ad sacrificandum advocet? Rursum vero, qui defectio nem moliuntur, remque sacram profananter faciunt, ne illi cum alienis ab impietate conventus agere non velint. Ut unde stabiliti Lex videtur, non inde, quemadmodum existimatum sit, stabilitur. Tum & religiosis in multis utilitatibus consequendis eandem impedimento esse comperitur. Siquidem cum divina gratia in omnibus fere omnium non modo potentiorum, verum etiam tenuiorum domibus sacraria Deo erecta sint, & vero sumptus reliquaque ad rem familiarem necessaria Sacerdotibus ab omnibus familiariter suppeditari non possint; evenit propter Legem, ut (quemadmodum dixi) qui tenuiores sunt, quam ut privatim Sacerdotes suscipere possint, persæpe divinorum mysteriorum expertes manent, & sacra delubra, quæ in illis sacrificia fieri debeant, his defraudentur. Quin verisimile etiam est, nonnunquam defunctorum memoria instante, ob defectum Sacerdotis presentem memoria diem nullo facto sacrificio elabi, ut inde & qui hic vivunt, & quos altera vita tenet, utrisque non exiguum damnum obveniat. Statuimus igitur, ut non solum generalis Ecclesiæ Sacerdotes, sed etiam, qui ad quaecumque aliam Sacerdotum domum pertinent, quibuscumque cujusque domus dominis accessum ad sacra Oratoria & sacram rerum functionem dare voluerit, in quibuslibet ædibus sacrificandi 2, Deique arcana enarrandi facultatem habeant. 3.

CONST. II. (1. l. 42. §. 1. C. de episcopis. Nov. 6. c. 1. §. 4. Nov. 123. c. 1.

pr. Nov. 137. c. 2. (2. Abrogatur d. §. 1. d. Nov. 6. c. 1. §. 4. Nov. 123. c. 1.

pr. Nov. 137. c. 2.)

CONST. III. (1. Nov. 79. infr.

CONST. IV. (1. Adde Nov. 15. infr. (2. Fac. Nov. 131. c. 8. (3. Abrog. Nov. 58. de Nov. 131. c. 8.)

## C O N S T I T . V.

NE, QUIBUS, POSTQUAM MONASTICÆ VITÆ INSTITUTUM SUBIERINT, FACULTATES SUPPETUNT, IN UNIVERSUM HI DE ILLIS TESTARI PROHIBEANTUR: SED, UT, SI, QUO TEMPORE MONASTERIUM ADIERUNT, IN ID QUIPIAM CONTULERINT, IN ILLORUM POTESTATE SIT, UT QUEMADMODUM VELINT, DE IIS, QUÆ SIBI POSTMODUM PARARUNT, IN PLENUM ASSEM ETIAM TESTAMENTUM CONDANT. SI VERO NIHIL AB INITIO INTULERINT, TUM UT DE BESSE STATUENDI FACULTATEM HABE MONASTERIUM AUTEM ALTERAM PARTEM, SIVE TRIENTEM ANT; ACCIPIAT.

Aliter.

## UT MONACHUS DE ACQUISITIS TESTARI POSSIT.

*Idem Imp. Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo & Patriarchæ universali.*

Quoniam de Monachorum bonis, quæ post suscepit vitam monasticam coacervassent, persæpe nobis una cum Dei amantissimis sub te primariis Sacerdotibus dubitare te (o divinum, &c, ut in mundo præluecas, in magno Ecclesiæ firmamento a principe lumine collocatum lumen) dixisti, an Constitutione facta Monachos istiusmodi bonorum dominos designari oporteret, an vero ipsos ab illorum dominio arceri conveniret; nimur quod tamquam nubes, quæ istinc ambiguitas existit, rationis radios, quo minus perspicue ea res dijudicari possit, subeat & offuscet: quoniam (inquit) de hoc dubitantes variis nos postulationibus ad hujus rei considerationem una vobiscum suscipiendam hortati estis: nos, ut in aliis, ita & hic sacerdotalem tuam dignitatem venerantes, ad satisfactionem petitionis tuæ accingimur. Ac illa quidem primum a nobis dicantur, quæ a veteribus & de illis, qui se jam in monasticam Rempublicam adscribi volunt, constituta sunt: illis nempe de rebus suis prius testandum esse, ac deinde ad concupitum vitæ institutum procedendum, nec dispositionem rerum suarum vitæ mutatione anticipandam. Nam si hoc ita evenisse constet, non amplius ipsis jam tonsis, ut de rebus suis quicquam statuant, permittendum esse; omnemque substantiam, in qua Ecclesia tonsi sunt, illi cessuram. Quod sane de iis, qui vitam monasticam jam subierunt, decretum (extra quam si liberi, qui hereditatem peccant, supersint) & optimum, & ita, ut nemo possit melius, constitutum est: tum nec addi, nec adimi illi quicquam queat. Etenim, qui ante mutatam vitæ rationem, quum bonorum dispositionem in arbitrio suo positam haberet, de iis statuere noluerit: merito postmodum id facere prohibetur, ut qui se ipse in has angustias conjecterit. Propterea enim, quod, quum licitum ipsis esset, prædisponere res suas testamento noluerit, ejus postea faciendi facultatem, tamquam ab ipso damnatam, sibi adimi, id vero jure longe optimo sustinet. Ceteroquin etiam, quomodo non absurdum fuerit, si qui se ab hujus vitæ curis se junxerit, illarum adhuc onus sufferat, indeque promanante molestia prematur. Liberos igitur, qui in Monachorum numerum adscripti sunt, (quemadmodum dixi) quando non habet, non profecto hoc decretum decreto alteri cedat. At si liberi supersint (non enim tunc illos propter parentis silentium damno affici fas esset) non omnino testamenti ordinationem monachicus habitus impediatur: sed manifestum est, quod & de liberorum portionibus testari poterit, quæ illis & aequali legitima divisione attribuentur. Quæ vero pars ad ipsum respicit, in ea testamenti fastio deficiat: quippe quæ integra ad Monasterium pertinet. Ceterum si mors etiam (ut multi sunt rerum humanarum casus) subito supervenient rerum distributionem intercipiat, neque tunc quidem, quæ liberis succurrat, dispositio omnino conticebit: sed secundum dictum modum, quæ ad illos pertinent legitimo ipsis jure separabuntur: residuum autem involabit Monasterium. Atque hæc quidem de hisce facultatibus, quas ante suscepit vitam monasticam habuerit quisquam. Verum de quo paterna vestra Beatitudo prodire decretum petiit, (de iis nimur rebus, quæ post monasticæ vitæ susceptionem accesserant.) de eo hoc statuimus, ut inde ab eo tempore, ex quo monasticæ vitæ rationem suscepit, consideratione procedente, quæ postmodum ab ipso comparata sunt, discernantur. Non enim, quod qui a profana vita ad monasticam transit, nisi prius testetur, testandi postmodum facultate privatur: ideo & de iis, quæ postmodum conquiserit, quicquam statuere in universum prohibeatur. Illic namque jure testamenti fastione privatur: quia quum ipsis in profano statu res adhuc tractanti aliquid con-

stituere integrum esset, eo ipso, quod id non fecerit, se ipse in has angustias circumcluserit: hic vero nihil simile est, ut quisquam aut a seipso, aut ab alio prohibeatur. Quod si quis dicat, hoc solo nomine, quod Monachus sit, Monasterium omnia esse perceptum: haud scio, si istiusmodi, quæ Monachos deceant, statuat. Primum enim, an, qui homines opum contemptum professi sunt, hos ita illas amplecti, ac quacumque ratione retinere convenit? Deinde sint alicui cognati pauperes, alioquin noti, qui consolatrice manu indigeant: quomodo non ab omni humanitate alienum, nullo illos ex cognati rebus sublevamine dignari, tamquam non modo peregrinos, sed & cognatos amicosque propellere, atque omnia ad se trahere, Monachis decorum sit? quemadmodum helluones, voracesque homines nullam omnino partem aliis, qui una accumbunt, relinquere velle videmus. Neque enim servus servitutis vinculis liberatur, neque egenus commiseratione potitur, non aliis quisquam necessitatibus pressus consolationis fructum invenit, quum omnes Monachi facultates Monasterio dantur. Ac propter hoc sane statuimus, ut si quis, quo tempore Monasticam vitam suscepit, Ecclesiæ quidam consecraret, illi circa res postmodum comparatas liberum ratumque iudicium sit 4, quomodo cumque de illis statuere velit: sin nihil omnino ab initio in Monasterium allatum sit: tum ut bifaria substantia dividatur, ita ut una pars in bessem, altera vero in trientem circumscribatur, ac Monachus, quomodo cumque ipsi visum fuerit, de besse testamento statuat: triens autem applicetur Monasterio. Atque hæc quidem, de quibus requisitis nostra decrevit Potentia. Oportebit autem tuam Beatitudinem, quæ decreta sunt, omnibus sub ipsa Dei amantissim. Metropolitanis facere manifesta, & hos similiter sub te constitutis Episcopis, illosque, quarum curam sortiti sunt, Ecclesiæ ista indicate: quo videlicet & in præsens, & in futurum hæc ab omnibus tum cognoscantur, tum hunc ad modum fiant.

## C O N S T I T . VI.

UT UTRUMQUE TEMPUS, TUM QUOD SANCTA SEXTA CONSTITUIT SYNODUS, TUM QUOD DECERNIT DIVUS BASILIUS, IN IIS, QUI MONACHI FIERI STATUUNT, OBSERVANTUR: ET BONORUM EJUS, QUA SYNODO PRÆSTITUTO TEMPORE MONACHUS FIT, DISPOSITIO SECUNDUM EDITAM A NOBIS FORMAM PROCEDAT.

Aliter.

## UT DEGENNIS I PUER IN MONACHORUM NUMERUM ASSUMATUR.

*Idem Imper. Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo & Patriarchæ universali.*

Quo tempore eos, qui monasticam vitam subire desiderant, re concupita potiri oporteat, id, quia non unum atque idem, sed aliud atque aliud a divinis nostris Patribus præstitutum sit, ut ad hunc etiam tractatum dijudicandum, &c, quæ subesse videtur, contrarietatem conciliandam me componerem, effectum est. Itaque, quæ magnus ille ac admirandas decernit Basilius (ut videatur, qui monachicum habitum ambient, decimo sexto primum, aut decimo septimo ætatis anno digni illo habeantur) quæque sancta Sexta mandat Synodus, anno decimo, qui istiusmodi vitam capessenter, suscipiendos esse monens: hæc cum sanctiss. Patriarcha Deique amantissimis Metropolitanis diligenter expidentes, neutram sacrarum Legum diximus esse contemnendam, sed contra ad utrumcumque tempus religioso habitu, qui illum sumere capiunt, dignos habere jubemus. De bonorum autem dispositione peculiarem sententiam pronunciavimus, ut nempe, qui sexto decimo, aut decimo septimo tondere voluerit, de rebus suis, quomodo velit, statuere possit. 2 Existimo enim, propterea etiam magnum illum Basilium hoc tempus huiusmodi actioni tribuisse, quod ad id legitimæ ætatis requisitum ad statuendum de rebus suis impedimento non sit. Qui vero decimo anno in Monasticæ vitæ sanctimoniam mutato statu transire in animo habeat, ut neque huic salutaris conatus impedimentum aliquod obviet (hoc enim, ut videtur, & tacra Synodus intelligens, ac volens, tempus, quo vitam monasticam adire esset, ampliavit) ne tamen is, quo modo istiusmodi vitam ineundi, sic etiam de rebus suis testandi facultatem accipiat: sed donec ilud tempus, quo legitimam plenamque

(3. Addit. 7. §. 1. in fin. ff. qui satisfare. 1. 2. §. 2. ff. si quis cautionib.

(4. Abrogatur Nov. 5. c. 5. Nov. 123. c. 38.

CONST. VI. (1. Fac. l. 53, in præ. vers. praterquam. C. de episcopis. (2. Adde Nov. 5. supr.

ed testandum actas potestatem capit, advenerit, a disponendis rebus inhibeatur. Quod si (ut sunt res humanæ) ante illius temporis completionem e vita excesserit, servi ejus omnes a servitute liberentur: reliqua vero bona bifariam dividantur in bessem & triensem: ac bessem quidem Monasterium auferat, triens autem defuncti cognatis detur. Quorum si nulli supererunt, quo bes processit, eo triens quoque abeat.

## CONSTIT. VII.

UT QUOTIESCUMQUE A CLERICORUM HABITU AD PROFANORUM TRANSIRE PER VECORDIAM ALIQUIS TENTARIT, IN ILLUM IS INVITUS ETIAM RESTITUATUR.

Aliter.

NE CLERICUS DENUO PROFANUS FIAT.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo &amp; Patriarchæ universali.

Quemadmodum antehac, quando certorem firmoremque rerum constitutionem investigaremus, si civilis Lex plus roboris ac firmitatis, quam ecclesiastica, præbete videtur, illi prærogativam dedimus: eo modo & hic decretum sacrum recte rerum moderationi quam civile sit, codicibilius fore intelligentes, illi per assensionem consona præscriptione edita, statuimus, ut, quicumque Clericorum habitum mutare profanorum habitu improbe institueritis, quotiescumque actus fuerit in istiusmodi vecordiam, secundum ecclesiasticum decretum, quantumvis invitus in Clericorum habitum i restituatur: tamen qui ecclesiastici ordinis statutum recipiat, dignus non sit, uti qui se ipse illo indignum trans fugio constituerit.

## CONSTIT. VIII.

UT QUI REJICERE VENERANDUM MONASTICÆ VITÆ HABITUM IN ANIMUM INDUXERIT, AC PRO ILLO PROFANORUM HABITUM SUSCEPERIT, QUOTIESCUMQUE HOC FACERE AUSUS FUERIT, ETIAM INVITUS IN ILLUM RESTITUATUR: ET EX QUO MONASTERIO IMPROBE AUFUGERIT, EIDEM REDDATUR.

Aliter.

DE EO, QUI VITAM MONASTICAM DESERIT, QUI PRÆSIDUM COHORTIBUS I ADSCRIBI SOLET.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo, &amp; Patriarchæ universali.

Quam aliqui, qui incomposite vivere instituunt, ac præ laudatis moribus sectantur vitiosos, quotiescumque flagitiis quicquam designasse deprehensi sint, malum ipsorum institutum multifariam coerceatur, nec improbam, scelestamque voluntatem ac molitionem correptione vacare toleretur: subit mirari, quomodo Lex vetus iis, qui monasticæ vita exercitationi se mancipassent, deinde vero stationem suam & ordinem deseruisse, quomodoque factæ literæ habent, tamquam canes ad suum ipsum vomitum, aut sues ad præsina vita cœnosam cloacam reversi essent, ac profanorum in habitu statuque se ipsi collocassent: improbum hoc scelus tentari omninoque perfici permiserit. Jubet enim, ut, qui semel monasticæ vita institutum reliquerit, uade flagitiose existent, reverterentur: qui vero iterum id ausi essent, ex eo tempore pulsa Monachatu, inter cohortales provincialis cohortis reconsenserunt. Atqui, si ut desertor ordinis profanorum habitu indueretur, id illi statutum pulcrum visum fuit, quid causa est, cur ipsum ab initio ita non vesterit: sed ut, qui Monachus professio nema suam semel deseruerit, is ad illam, quamlibet invitus denuo cogeretur, constituerit? Si hoc ita præcipi decorum putavit, quare in eodem decreto non consistit, sed tamquam ipsum placiti sui pœnitentia, miserum illum Monachum ad militarem vitam protractit. Nequaquam vero id nobis esse fas videtur, neque 3 qui in divisione militiæ legiones receptus sit, hunc in mundanis militiis placet collari. At contra, quod ecclesiastico ordini observari debe re visum est, ut si quis sepius vitam monasticam aspernatus vagetur, huic profanum habitum recipere non concedatur, id per Legem etiam nos jubemus. Si enim, qui vitam Monasticam exuit,

CONST. VII. (1. Nov. 8. infr.

CONST. VIII. (1. l. 53. §. 1. C. de episcopis. Nov. 5. c. 6. Nov. 6. c. 7. Nov. 123. c. 42. (2. d. Nov. 123. c. 42. (3. Abrogatur d. Nov. 5. c. 6. d. Nov. 123. c. 42. l. 53. §. 1. C. de episcopis. Lult. §. 4. §. 5. infin. C. de episc. aud.

mundanæ voluptatis velut asylo concitus id facit: quæ ratio est, tametsi semel cupiditatis sua motu prohibitus sit, quum, si tursum ad hoc faciendum animum appellat, se ad finem insolens suum consilium perdatur, ac in profanorum statum recipiendum esse sciat, ut is non omnibus modis Monasticæ vitæ institutum iterum communi vivendi modo mutet?

## CONSTIT. IX.

DE SERVO, QUI IGNORANTE I DOMINO CLERICUS FACTUS EST.

Idem Imperator Stephano sanctiss. universalique Constantinopolitano Archiepiscopo.

Eidem recte rerum ecclesiasticarum constitutionis curæ insistentes, quæque sacrosanctis Canonibus placuerunt, hisce nos etiam album calculum adjacentes, ab adversariis civilibus Legibus hanc contradictionis pœnam, ut ex legitimis constitutionibus subtrahantur, exigimus. Ut enim qui, cum servilis conditionis eset, ignorante domino venerandam Sacerdotii dignitatem assumpserit; nudatus istine promanante honore, in pristinum servitutis restitueretur statum, secundum Ecclesiæ Dei voluntatem & nos constitui mus. Legem 2 autem, quæ servum ignorante domino Sacerdotem factum, servitute liberat, hue, ut neque effectum, neque fandi facultatem habeat, redigimus.

## CONSTIT. X.

DE SERVO, QUI INSCIO DOMINO MONACHISMUM SUSCEPIT.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo, &amp; Patriarchæ universali.

Quam præstans Monasticæ vitæ professio sit; quique suave illud & beatum jugum suscipiunt, quanta illi reverentia & honore digni sint, scimus quidem & ipsi. Itaque non quo illum vituperemus, sed potius quo vituperatione eximamus, hac statuere visum est, & censemus. Quanto enim illa admirabilior diviniorque est, tanto majore & quidem quanta maxima attingi cum veneratione, nequaquam vero ingratitudinis & improbitatis velamen ac prætextum Monasticæ vitæ dignitatem fieri oportet. Et certæ quomodo improbitas dicenda non est, si homo servus, dominum suum fugiens, ad illud vitæ institutum deveniat? Quoniam igitur de servis fugitivis ad vitam Monasticam devenientibus, statutum a superioribus i est, ut si intra tres annos fugitivus manifestus fiat, illum habitu nudatum recipiendi facultatem dominus habeat: si vero usque in tertium annum incognitus manserit, tametsi postmodum agnoscatur, ut domini potestati non obnoxius sit, praterque illius voluntatem liber auncupetur: & vero inde multis fugiendi dominos suos occasionem cepisse, ac re honesta, Monasticæ vitæ professione, ad tegendam malitiam abuti videmus ( cui libet enim servo perfacile est, ut ad triennium se occultet, deindeque libertatem consequatur) jubemus, ut quatuorcumque tempore servus tali consilio Monachus factus deliquerit, si ipsum aliquando dominus inveniat, nihilominus is, quem malo proposito habitum sumpsit, hoc exuatur, rursumque in domini potestatem subigatur. Nam quod pio affectu habitum illum sumpsit, quanturavis id verbis ipse singat, ne dici quidem potest. Sive enim cum benevolo placi doque domino uteretur, pro amore, odio concepro, fugere decreverit: extreme ingratitudinis & improbitatis argumentum habens: sive (ut sunt res humanæ) molestiis & injuria affectus non tolerarit, ac idcirco dominum deseruerit, quomodo eam Rem publicam magnifaciet, quæ cives suos in Christi crucem & mortem continenter respicere vult?

## CONSTIT. XI.

DE SERVO, QUI IGNORANTE DOMINO EPISCOPUS FACTUS EST.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo, &amp; Patriarchæ universali.

Quod de servo i, qui venerandam Sacerdotii dignitatem furatus sit, idem & de illis servis, quibus nesciente domino ad primatii Sacerdotii honores consondere visum est, statuimus: ut videlicet secundum ecclesiasticæ constitutionis voluntatem exauthorati, honore, in quem clam irrepererint, priventur, & ad suum servilemque statum reducantur. Non enim profecto, qui alii in re-

CONST. IX. (1. Nov. 123. c. 17. (2. d. Nov. 123. c. 17.

CONST. X. (1. Nov. 5. c. 2. §. 2. ver. trienni.

CONST. XI. (1. Nov. 9. supr.

bus furto vel fraude aliquid subtrahunt, his non modo ea, quæ subtraxerint, retinere non concedimus, sed interdum etiam ut maleficos puniemus: & qui tantarum rerum furtæ audent, hos inde honeste vivere, & ex uno fraudis pessimo exercitio duo omnium longe pretiosissima, libertatem & Sacerdotii prærogativam, lucrari sinemus. Ergo, si quis servus ignorantie domino Episcopus creatus sit, inde ad servitutis effugium nil juvatur.

## CONSTIT. XII.

DE OFFICINARUM I MAGNÆ ECCLESIAE USU.  
Idem Imp. Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo,  
& Patriarchæ universali.

**C**onstantinus 2, is, qui primus Christi nomine Imperii coronam splendidiorem ac augustiorem reddidit, ubi etiam dignum aliis suis præclaris facinoribus Imperatoriaque cura fore prospexit, de sepultura nempe eorum mortuorum, quos in ea etiam re egestas premeret, officinas, ex quarum vestigali necessarios ad humandos mortuos sumptus suppeditandos ordinasset, sancta Dei Ecclesia applicavit. Hanc igitur provisionem quum piorum hominum amulatio postmodum exceperet, quæ & ipsa pauperibus ad sepeliendum sufficeret, permultum illa in hunc usum sumptus auxit. Verum nunc omnino nihil ea sollicitudine, qua initio ille quaterque beatus Princeps voluit, dispensari inde videas. At nos, & scientes quidem, quod postquam Ecclesia officinarum vestigalia occupavit, tametsi (quod usus non postulet) in quem ab initio constitutum est, Numinis cultum illa non expendat, in aliud tamen quodpiam ministerium, & ipsum ad Numinis cultum pertinens, prouersus illa dispensem: statuimus, ut, quæ de his jam olim edita Constitutio 3 est, immota & inviolata permaneat. Officinæ autem omnes, quæ in hoc ministerium attributæ sunt, supra mille numero sunt ad centum.

## CONSTIT. XIII.

DE PERPETUIS EMPHYTEUSIBUS.  
Idem Imp. Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo,  
& Patriarchæ universali.

**R**em fraudulentam simul & illicitam consecratarum Deo ædium (Ecclesiarum videlicet, hospitiorum, & viduis pupillisque alienis destinatarum domum) præfectos etiam audere, ad nostras delatum est aures. Narratum est enim, quum domus elocatæ sint, jamque tempus pacto constitutum decurrat, quando locationis terminus ac possessionis renovatio instat, non fieri certam aliquam & statutam solutionem, quam peculiari nomine ἐπεκτινόν vocant: sed quomodo præfectis pro ipsorum avaritia visum sit, ita exactiobus domuum possessores prægravari. Id igitur cum omnibus grave, tum pauperioribus (quod ita ipsis durior egestatis necessitas imponatur) longe esse acerbissimum videntes, ne id amplius fiat, Lege cævenimus: sed, ut certa quantitate ad duplum emphyteutici vestigalis constituenda solutio definiatur: & insuper omnis illatio locationis instrumentis inscribatur, domuique nulla novatio adferatur: non vero in prælectorum questum intervertatur, dum illi non, ut domum utilitati consulant, sed scelesti sibi lucrum parent, hoc agunt.

## CONSTIT. XIV.

DE IIS, QUI MONASTERIUM IMPERFECTUM RELINQUUNT.

Eidem

**Q**ui præcipitanter ambitioseque ad faciendum aliquid fertur, ac ipso in initio viribus ac facultate destituitur, sive manifestum vitium, sive benignitatis speciem conatus præ se ferat, simul ille reprehensione dignus, simul aspernandus est. Hoc sane &, qui similitudines ab initio proverbiaque loquitur, Dominus noster & Servator in Evangelii vult, ubi de ædificatione Urbis & absolutione, ac de similibus sermocinatur. Merito igitur & sacra Leges & civilia de cœta similes edunt, ejusdemque sensus admonitiones, ut, quicunque Monasterium construere instituerent, si ad perficiendum opus pares non essent, id aggredi prohiberentur. Oportet enim quascunque res, ubi ad perfectionem pervenerint, tum demum convenientem appellationem indipisci: nequaquam vero nomen rebus imperfectis, ut consummatæ constitutionis sint, præstat potest. Itaque (quod dictum est) recte sacra civilisque Lex 1

CONST. XII. (1. Nov. 43. Nov. 59. (2. d. Nov. 43. in princ. d. Nov. 59  
in pr. (3. d. Nov. 43.

CONST. XIV. (1. Nov. 67. c. 2. Nov. 181. c. 7.

eos, qui ad rem absolvendam pares non sint, fabricandi Monasterii inceptione prohibet. Verum quoniam incognitum illud est, quando Monasterium sufficienter absolutum judicari debeat (non enim expresse ab illis hujusmodi absolutio definita est) haec de re certum atque evidens Edictum promulgare placuit. Dicimus igitur (quoniam divinum os loquutum est: *Ubi duo aut tres in nomine meo congregati sunt, ibi in medio illorum sum*) quod opus aliquod Monasterii appellationem subiturum, minimum tribus & sufficere oporteat: quod nimur idem opus, si facultatibus quoque abunde instruantur, ad celebritatem nominis etiam valeat. Ut ergo quis liberam impedimentoque carentem ad dedicandum Monasterium aggressionem habeat, in totum minimum Monachos dedicationem concipiatur necesse fuerit. Porro quia permulti, qui se istiusmodi incepto dedunt, præveniente morte, ipsosque hominum consortio eripiente, interdum proposito destituuntur: illud a nobis statuitur, ut si testamentum conditum sit, quæ in illo Ecclesia assignata sunt, ea illi cedant. Si vero (ut identidem ex mortis incertitudine continet) antequam de rebus suis statueret, evectus fuerit, tum, si ad tres numero liberi supersint, quadrantem bonorum involabit Monasterium: si ultra ternarium numerum sibi multitudine procedet, liberis connumerabitur Monasterium, deducto ære alieno, ex universa substantia, quantum ipsorum quisque, capiet. Quod si defunctus sine liberis decesserit, parentes autem superstites habent, rebus bifatiam divisis, una pars parentibus, altera Monasterio applicabitur. At si neque parentes, neque liberos heredes habent, & cognati ad hereditatem prodeant, ipsis quidem quotcumque fuerint, trientem inter se distribuent, bes vero Ecclesia accedit. Verum vero si aut per oblivionem, aut aliam quamplam causam, in contrariam laudabili legitimoque proposito testamentum sententiam conceptum sit, ut ejus loci Antistes Dei amantissimus, quantum ad Ecclesia, eorumque, qui in illa assessori sunt, sustentationem suffecerit, vindicet: de reliquis vero Legum præscriptio & testamentum dijudicent.

## CONSTITUT. XV.

UT SALUTAREM BAPTISMUM IN QUOCUMQUE SACRO ORATORIO PERAGI LICEAT. I.

Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo,  
& Patriarchæ universali.

**E**tiam hic venerandæ sextæ Synodi facer Canon, qui non in privatarum ædium Oratoriis seorsum, sed in solis in communem consecratis templis, divinam regenerationis lotionem perfici vult, quum similia eum illis jubeat, qui sacrosancta Sacrificia & Mysteria in privatis domibus celebrari vetant 2, ideoque a nobis iam pridem consideratius expensi sunt: tamquam illorum germanus similiter correctionem consequetur. Satuimus igitur, quemadmodum de Sacrificiis, sic quoque de salutifero Baptismate, ut & ipsum in quocunque sacro Oratorio quibuslibet peragere licitum sit. Nam hac tam stricte sacrum synodi decretum constituisse mihi quidem videtur, propter eos, qui, quamquam Sacerdotum nomen gerant, profani tamen sunt, & quos ad lavacrum adducunt, pollutos redundunt: qui (ut appareat) domos ejusdem opinionis hominum subeunt, non rem divinam faciunt, sed cum iis, qui convenient, inauspicati aliquid moliuntur. Hanc vero provisionem, tametsi & divinam esse, & multa salutaria continere constet: non tamen illa ad impietas plenos a suis vitiis coercendos sufficiat. Nam & res audax est malitia, omnique modo, clausis etiam Oratoriis, ad explendum propositum suum, suam inveniat viam. Verumtamen, quum nunc divina gratia omnes perversæ opiniones sint profligatae, etiam quantum ad hoc attinet, quamobrem Reipublicæ hoc decretum ad prohibendam in privatarum ædium Oratoriis regenerationis lotionem obtrudatur, nullam equidem esse necessariam causam video.

## CONSTITUT. XVI.

UT, QUI VIGINTI I ANNOS HABET, HYPODIACONUS CREARI POSSIT.

Eidem

**V**etus verbum, quod de rebus suis dicendi aures esse aperiendas mœnet, cum in aliis omnibus perbellè fese habeat, tum hic longe esse pulchrius appetit. At quosum hoc? Civilis Lex 2 statuit,

(2. Vide tamen l. 12. ff. de testib.

CONST. XV. (1. Abrogatur Nov. 58. (2. Nov. 4. supr. Nov. 58

CONST. XVI. (1. Nov. 75. infr. (2. Abrog. Nov. 123. e. 12.

ne minor viginis quinque annis in divinis officiis creetur hypodiaco: Decretum sacrum contra statuit, ut, qui ad istiusmodi Ministerium accedit, hunc vigesimus annus ad ordinationem perducatur. Dignum itaque sacram Legem de rebus suis præcipientem audire Imperatoria nostra Majestas rata, & in eamdem cum illa sententiam descendit, & statuit, ut, qui ad vigesimum annum pervenit, modo anteactæ vita ratio obstatculo non sit, quantum ad aratem, hypodiaco officium suscipere non impediatur.

## CONST. XVII.

DE PUPERIS, QUANDO DIVINORUM MYSTERIORUM PARTICIPES FIANT: ET QUANDO INFANTES BAPTIZENTUR, POST QUADRAGINTA VIDELICET DIES, EXTRA QUAM SI NECESSITAS URGEAT.

Eidem.

**I**d, quod Beatitudo tua postulat, a vobis procedere, quam a nobis originem sumere ac profici, æquius fuerat. De re enim sacra Sanctitatem tuam sancire oportebat. Verum quoniam super uno dumtaxat capite Concilium consultare (quum de multis decernere Concilii sit) inconveniens esse, nos vero & citra Concilium decretum facere posse dicitis: admonitionem suscipientes, quibus de rebus postulationem instituistis, de iis Constitutionem emitimus. Quum itaque Dominus & Servator noster, quo splendore gloria ipius illuminarentur, qui in tenebris ambulant, juxta atque nos carnis, atque sanguinis nostri particeps factus fuerit: valde, mea quidem sententia, a fulutifera ipius providentia diverse sentiunt, quotquot eam, quæ ex recenti puerperio decumbit, & morte i pra foribus consistente, nec diem, quem ipsi expectandum autumant (quadragesimum nempe post partum) expectante, citiusque oborto velut collo protrahente, corripitur: illuminatione indignam esse opinantur, & ut ob corporis immunditatem revera illa e vita immunda excedat (quippe quæ in sacris non instituatur, nec facri lavaci lustrationis, regenerationisque particeps fiant) efficiunt. Neque vero illi periculi damique magnitudinem, quam inconsiderata ipsorum & perniciosa religio adfert, pra oculis habent. Verum ea illa est absurditas, ut oratione non indigeat. Talem enim mulierem incredulam reformationeque destitutam decidere, & istiusmodi ob causam pro eo, quod inter servandos collocanda esset, in perditorum damnatorumque locum rejici: quomodo fas, Deove, qui per fidem in ipsum & in aqua Spirituque regenerationem, salutem donat, non grave atque acerbum est? Vanam igitur istiusmodi prudentiam dehinc in futurum e medio tollentes, de mulieribus, quæ recens pepererunt, quæque naturali expurgatione occupata sunt, statuimus, ut, si quidem alia quacunque affectione morbida ipsarum vita non tentetur, usque ad præfinitum quadragesima dierum tempus expertes maneant, nondum initiatæ illuminatione: ad sacra receptæ & initiatæ, sacro-sanctorum Mysteriorum perceptione. At si quis ipsis morbus, qui vita internectionem minitetur, superveniat & incumbat: sacram rerum omnibus modis participes fiant. Etenim si illis, qui proprie enormia flagitia multis annis vivifica Communione accentur, mors adobruens præscriptum tempus incidit, neque quisquam hos sacrorum participatione prohibere sustinet: qua ratione haec propter naturales carnis sordes prohibebuntur? Quod profecto non tam propter muliebrem hanc immunditatem, quam ob alias causas in intima Legis ratione reconditas, & veteri prohibitum esse Lege, & gratia tempus traditionis loco suscepisse puto. Existimo siquidem sacram Legem id præscriptissime, quo protervam eorum, qui intemperanter viverent, concupiscentiam castigaret, quemadmodum & alia multa per alia præcepta ordinatur & præscribuntur, quo indomitus quorundam in mulieres stimulus retundatur. Quin & haec Providentia, quæ Legem constituit, voluntas est, ut partus a depravatione liberi sint. Quia enim quicquid natura supervacaneum est, idem corruptivum & inutile est, quod hic sanguis superfluus sit, quæ illi obnoxiae essent, in immunditie ad id temporis vivere illas Lex jubet, quo ipso etiam nominis sono lasciva concupiscentia ad temperantiam redigatur, ne ex inutili & corrupta materia ipsum animans coagmentetur. Et sane de infantibus eundem ad modum constitui mus, ut, si non inquietentur, inimicosque naturæ casus superent, antequam gratia splendore illustrentur, quadragesimus dies experietur. Consentaneum namque est, ut, quemadmodum foetus quadragesima diebus in naturæ maternoque receptaculo plene in-

formantur, sic etiam in æquali dierum numero in divinæ gloria eternique omum Patris domum procedant. Si tamen & octavo a partu die, baptizare aliquis volet, neque id absurdum fuerit. Dominus enim noster Christus octavo die circumcisus, imposito circumcisioni fine, pro hac vivifico Baptismate initiari concessit. Verum haec obtineant, si nulla necessitas, qua mortem minetur, existat. At si periculum aliquod emergens vim vitæ inferat, omni diligentia, omnibusque viribus, etiam intra octavum diem, sacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque facri lavaci, atque adeo summi boni experts partus decedat.

## CONST. XVIII.

UT IN SPONSALIBUS CONSTITUTA PENA EXIGATUR.

Idem Imperator Styliano excellentiss. sacrorum officiorum Magistro.

In omnibus rebus & dictis, quod præstantius sit, feligi, reprehendendum non est. Atque tunc quidem, ut aliquid sequare, aut declinandum censeas, non eorum, qui aliquid aut faciunt, aut dicunt, habenda ratio: sed eorum, quæ sunt ac dicuntur, cognoscendus status est. Idcirco, quod consuetudini placuit, ut in sponsaliorum reprobationibus pena imminenter iis, qui reprobare instituerent, id in Legis auctoritatem collocamus. Arbitror enim, id quod consuetudini visum est, ea Lege, quæ de hujusmodi rebus lata est, nihil improbabilius esse, ac res ipsas referre in melius. Nam quum Lex 2 arrha perditione, aut in duplum restitutione solum temeritatem puniat, haec definitum patetque constitutum in sponsaliorum rescissione subiri damnum vult. Ac si sane, ne (ut fieri assolet) sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur. Solius enim arrha perditio, quæ in eum, qui detinet, ac deinde sponsalibus non acquiescit, constituta est: ejusque in duplum restitutio, quam mulctam is, qui arrham cepit, deindeque in pacto convento non persistit, sustinet: ut propter penam levitatem pactorum rescissionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur, facit. At ex pacto definita pena gravius damnum sibi obvenire videns inconstans ille, tardior omnino ad divellenda sponsalia fiet. Quod sane nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertis, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. \* Ex arrha siquidem perditione faciles sponsaliorum aversiones video: ex penam perfolitione non item. Nam gravius dispendium (pacto enim constituta pena, arrha major prorsus atque gravior est) vel invitum inhibens, animi inconstantiam acquiesce illis, quæ ante de sponsalibus placuerunt, compelle. Sic igitur, quod a consuetudine confirmatum est, quemadmodum hactenus, ita deinceps & obtineto, & causas dijudicato: tura etiam, qui sponsalia evertit, penam exactione feritor.

## CONST. XIX.

DE PACTO I PATERNO, EX AEQUO HEREDEM FUTURUM FILIUM.

Idem Imp. Styliano excellentiss. sacrorum officiorum Magistro.

Non contemnendi alios studio (ut & antea a nobis dictum est) neque, ut gloriam nobis paremus, ad Legum correctionem processimus: sed ut, quod conducibile non est, quoad ejus fieri potest, a subditorum consortio removeamus: id scientes, ad moderandam Reipublicam Legum rectam constitutionem omnium esse præstantissimam. Nam qui Leges Reipublicæ oculos esse dixerit, is profecto mea sententia illas ita vocans, nihil indecens pronunciaverit. Quemadmodum enim res maxime necessaria est animali non titubans oculus, ita & Reipublicæ Legum æquus & rectus status. Hujus ergo nos curam gerentes, posteaquam in scelecto Codice Legem esse cognovimus, (quæ propter evidentem absurditatem in hominum animis neutiquam locum invenit, ut suscipietur: nedum vim aliquam & efficaciam habet. Contraria enim statuit naturali, quæ a parentibus liberis debetur, æquabilitati, adversusque filium patri ad iniquitatem fenestrarum aperit: quin & parentem, ut illi morem gerat, obstrictum mendacio, doloque obnoxium facit) posteaquam, inquam, istiusmodi quamdam esse Legem animadvertis, tametsi etiam ante nostram Sanctionem ipsam, ne susciperetur, excluserit communis hominum voluntas: tamen nos nihilominus omnem illi prorsus functionem &

CONST. XVIII. (1. Abrogatur l. 134. pr ff. de verb. oblig. (2. l. 5. C. de sponsalib.

CONST. XIX. (1. l. 15. C. de patis.

usum decreto adimimus. At quid dicit? Etiam si, inquit, pater, quem in matrimonium collocaret filium, illum post decessum suum ex aqua parte cum aliis fratribus paternorum bonorum heredem fore pacto promiserit, in potestate tamen illius, si velit, erit, ut pactum ejusmodi negligat, aliisque liberis amplius attribuat: & illi, cui aquam portionem in hereditate pactum concedebat, minorem assignet. Hoc itaque quamquam alioqui (quomodo diximus) in Republica nullum locum habeat, nostro etiam decreto velut in exilium ejectum, omnibus modis in Rempublicam ingressu prohibemus. Statuimus vero, ut parentum nemo jura filiorum, quibus cum reliquis liberis aqualem hereditatis portionem servatum iri in nuptialibus contractibus spoponderit, innovare tentet. At si quis pactiones suas aspernari, & illius, cui tantumdem, quantum alii fratres habituri sunt, promiserit, portioni detrahere compertus fuerit: sciat is, poenitentia mutata voluntatem invalidam atque vanam habendam. Ex quo enim cum aliis fratribus secundum initum pactum filius in bona succedet. Neque vero mendaciam veritati praeferi ulla ratio patitur, nec aquum est, neque rationabili animali convenit pacta 2 conventa per improbationem adulterari. Atqui si quid aliud, hoc certe hominem decet, ut verbis suis fidem praestet: nisi mendacis veritatem corrumpendo, destitutus ratione, eorum albo, quod ratione praeedita sunt, excidere velit. Quinimo nec illud contentaneum est, ut parentes iis, qui pariter ex ipsis nati sunt, non parem curam exhibeant, neque aquabiliter ipsorum vita prospiciant: sed alios quidem ubiores facultates habere, aliis vero nihil parcere, neque illorum misereri, tametsi inopes in miseria viciuntur sint, velint. Ceterum aquum est, ut, quemadmodum omnibus liberis ex quo vitam imperitit sunt, ita etiam ad hanc facultates impertiantur: nequaquam vero velut anticipi libra his levius quiddam, illis vero gravius, pro iniquitate animi sui attribuant.

## C O N S T I T . XX.

UT NE MARITUS, QUEMADMODUM UXOR,ILLA PRÆMORIENTE, PRÆTER DONATIONEM PROPTER NUPTIAS QUICQUAM CAPIAT.

*Idem Imperator Styliano excellentissimo sacrorum officiorum Magistro.*

Cum vetustis Legibus 1, quod de pactionibus nuptialibus tractantum in prima mattimonii coitione, tum in ejus dissolutione, quam mors in alterum conjugum irruens efficit, aquabilitatem & viro, & mulieri assignare videtur sit: haud scio, quare moti, quibus postmodum Leges condere studio fuit, diversis constitutionibus has subjecerint. Etenim vetustiores 2 Leges mox a conjugi coitione aquales esse collationes, tum muliebrem, tum virilem, & ut altero vita defuncto, quum liberi nulli superessent, nec pastrum, in quo quipiam de lucro significaretur, subesset, ex quo ad utramque sua reverterentur, constituerunt. Si vero de lucro pactum initum esset, tunc ut, uter cumque vita excessisset, qui superstes esset, receptis rebus suis, insuper, quantum pacto comprehensum esset, lucraretur, & in ambobus lucri aqualitas servaretur: ita ut, viro præmortuo, mulier dotem, propterque nuptias donationis partem aliquam, eamve totam, si ita convenisset, asportaret: & si mulier ante vitum in mortem incidisset, vir donationem propter nuptias conservaret, illumque luerum, sive dos tota, sive ejus pars, prout pacta vellent, sequeretur. Atque hoc quidem, quum vetustioribus placuerint, posterioribus displicuerunt. Quapropter & contra statuunt: quamquam non recte. Statuunt autem, uti statim ab initio conjugii inaquales procedant collationes, & major dos sit, donatio vero propter nuptias contraria, ejusque uxori ab eo die, quod matrimonium contractum est, sit domina, quamquam (ut fieri assolet) alterius viri consortio postmodum se mancipet: Et inique judicantes, ubi matrimonium morte distractum fuerit, mulieris moestitiam lucro consolantur: viri vero supra amissionem uxoris, dispensio rerum ipsius moerorem adaugent. Jubent enim, uti mulier superstes cum sua dote universam propter nuptias donationem auferat, & ad hoc ex reliqua mariti substantia tantum, quantum dotis donationisque propter nuptias iam unam summam contractarum quadrans conficit, seu heres capiat. Quod si mulier ante maritum mortem obeat, tum ut illius heredes una cum dote donationem propter nuptias lucentur: maritus autem nihil aliud, quam quantum dotis donationisque propter nuptias quadrans facit, habeat: utique res eum

ad modum procedat, sive subsit pactum, sive nihil hujusmodi inter ipsos convenerit. Sed haec quomodo non iniqua? quomodo pro jure haec non extrema injuria est? Quia quidem præmortuo marito mulier accipit, in his fortasse aliqua ratio; quia vero illa præmortua ad ejus heredes devolvuntur: in his quomodo non omnis injustitia, & enormitas inest? Ea propter decenter valde sapienterque perpetuo ille memorandus Imperator, & qui ex ipsis lumbis natus post ipsum rebus præstet, fecit, qui veteribus Legibus auctoritatem conservandam, quaque perverse contra statuerent, eas e Republica in exilium ejiciendas putavit. At enim refractaria contentiosaque consuetudo est, ac frequenter absurdula aliqua opinio, ubi in hominum animis (eorum præsertim, quibus recto iudicio illam expendere cura non est) altas velut radices egit, haud facile extirpare quit. Qui homines anticipatam opinionem, quamvis frivola sit, amplectantur, noluntque sequi meliora. Adeo, ut ne nunc quidem in aeternum commemorandi Patris nostri Constitutio, quod ad veteres Leges nuptialium pactuum rationem reducit, absurdam Constitutionem missam esse faciendam persuaserit, atque in qua ille exilium decreverat, in publico haec etiamnum usu sint. Quid nos igitur? Postquam semel prævalere visum est, ne in mattimonii coitione, ex quo collationes fiunt: sed major donatione propter nuptias dos sit, hoc in Republica obtinet, & si mors matrimonium dirimat, tum, si maritus sine liberis decedat, pactumque non subsit, uxor dotem donationemque propter nuptias, nihil autem amplius auferat: si vero mulierem mors abripiat, dotem heredes ejus capiunt; maritus autem suis rebus ne privator, neque, quod ipsius sunt, alii, sed ipse habeto. Quomodo enim iniquum non est, alios ex illius rebus lucrum sentire: ipsum vero, supra amissionem conjugis, bonis etiam suis, sive donatione propter nuptias privari?

## C O N S T I T . XXI.

UT DOTIS PROMISSIO EX PATERNIS, AUT MATERNIS BONIS FACTA PRÆSTETUR.

*Idem Imp. Styliano excellentissimo sacrorum officiorum Magistro.*

Quemadmodum in libra videmus, eam tum recte ad rerum earum, quod ponderantur, dijudicationem desumi, quando lances aquales sunt, neque vel tantillum in alteram partem proclinant: ita quoque Lex, quum ne tantillum quidem jus intorquet ac depravat, digna est, quod ad rerum dijudicationem procedat. Illius enim partes sunt, ut aquabilitatem: hujus autem, ut jus stabile conservet. At quotsum haec? In Codicibus descripta Constitutio 1 est, quod dum a parentibus, qui in matrimonium liberos collocarunt, promissa dotis donationisve propter nuptias nomine facta exigit, haud scio; quomodo jus commisceat. Vult namque, uti pater, qui pro liberis dotem donationemve propter nuptias promiserit, si promissionem indistincte fecerit, illam totam de suo expleat, siveque solis ex bonis perfolvat: sin distinxerit, huncque ad modum locutus sit: *Ex meis filiique bonis promissa exhibeo*: tum si inops sit, nihil ille in promissa contribuat, sed filii facultates, quod se una cum filio daturum pollicitus est patens, soli expleant: sed si dives sit, contrarium statuatur, ut ipse solus de suo, quod pollicitus fit, expleat, filiusque nihil cum illo communicet: tametsi non se solum, sed cum filio promissum expletum pollicitus fit: quod filium, qui ipse non promiserit, dare quipiam indignum putetur. Hoc itaque aquitatis subversionem esse rati sumus. Nam quantacumque inopia teneatur parentis, si filius solus de suo promissa solvat, nulla justitia Legis appetit: neque rursus, quum satis affluens rerum patri copia est, filium contributionis omnino esse expertem, universumque promissum a parente exhiberi convenient. Quamobrem etiam statuimus 2, *ut secundum parentis verba promissorum solutio procedat*, ab ipsoque solo, quando se folum daturum pollicitus est, promissum exigatur: quando vero cum filio se daturum promisit, filius etiam solutioni obnoxius sit, eaque ex aquilibus partibus, quando illæ definitæ non sunt, fiat: ac tum ex inaquilibus etiam, quum utrique certæ partes diversæ assignatae sunt. In hoc nulla aquitatis eversio est, insuperque id ad liberorum utilitatem spectat, quam in Codicibus edita Constitutio non magnopere curat. Quid ita? Quoniam sapenumero parentis, quem ad dispendium respicit, ideoque illud tempus, quod filio efficaciter promittendi potestatem facit, ineundo nuptiali contractui exspectat, quod conducibile filio sit,

perdit. Ut igitur ea res ambobus commoda felixque sit, neque æquitas iniquo judicio involvatur, nec vero denique liberorum utilitati noceatur, Codicis decretum vacato: hoc vero jam etiam consuetudini cognitum in Republica obtineto. Quum etenim pro decreto Legis in Republica habeatur, jam prælatum est, quæ in Codicibus est, Constitutioni.

## CONSTIT. XXII.

UT MULIER, QUÆ MATRIMONIUM NON I TTERAT, UNIUS LIBERORUM PORTIONEM PROPRIETATIS JURE CAPIAT: SIMILITER ET PATER.

*Idem Imperator Styliano excellentissimo sacrorum officiorum Magistro.*

Sicut in plerisque aliis, quando absurdii nihil incideret, neque rebus noxiis quicquam inferretur, consuetudini cessimus: quin & Legis prærogativam illi dedimus: quum jam plebs assuefacta illi esset, nec ab illa se aveli fineret: ita etiam in parte donationis propter nuptias, quam mulier liberos habens, nec animo alteris nuptiis applicito sponsalem torum commiscens accipit, faciendum putavimus. Quum enim antiquior & Lex id donum ita circumscribat, ut donatione propter nuptias mulieri in usumfructum data, illa præter usumfructum ex eadem propter nuptias donatione, unius liberorum portionem proprietatis jure capiat: ac deinde posterior Lex rursum hanc unius liberorum portionem non ex donatione propter nuptias dumtaxat lucrum mulieri afferre: sed in alia etiam mariti bona procedere illam velit. His ita per Leges constitutis, consuetudo neutram Legem direste, sed partim hanc, partim illam sequens, neque ex sola donatione propter nuptias, neque ex aliis extra donationem consistentibus mariti facultatibus, unius liberorum portionem mulieri dari dignum putat: verum immutata illa portione, omnium simul ipsius bonorum illi partem largitur. Hanc igitur consuetudinem, quoniam acerbam esse rebus mortalium non videmus, ut in aliis etiam faciendum putavimus, Legis dignitate honestamus: illaque quidem dehinc vim Legis, non autem consuetudinis obtineto. Ac si quidem opes mariti facultates in sola donatione propter nuptias numerentur, cum hujus liberis superæs mater portionem, quæ ad ipsam pertinet, pleno dominio accipiet, residuque usumfructum habebit. At si ad donationem propter nuptias, facultates non sufficiant, non pro quantitate immutæ donationis portionem mulier accipiet, sed quæ tantundem habeat, quantum haberet, si nihil imminuta & plena donatione propter nuptias esset. Hujusmodi igitur portione mulieri data, reliqua liberorum sunt: & si nihil superfuerit, tamquam hereditatem, successionis privationem & egestatem illi auferunto. Atque hæc quidem de muliere. Vir autem si liberos non habeat (quo modo alibi correctum & constitutum est) nihil neque accipiet, neque perdet: si habeat, neque alteris nuptiis uxoris desiderium inanitat, liberorum educationis exhibitæque priori matrimonio reverentia & honoris gratia, & ipse unius liberorum portionem capiet.

## CONSTIT. XXIII.

NE PRÆSIDES IN PROVINCIIS SUIS DOMESTICA SPONSALIA CONTRAHANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Dignum hercle humano ingenio Magistratumque virtute esset, si, qui in Magistratum assumuntur, eo quod supra multos alios gloria & honore fruuntur, religiose præcepta Dei observarent, & custodirent, provideque subditorum res curarent; nequaquam vero illos gravi manu opprimerent. At quia sunt, quos ferox iniqusque animus & recta præceptorum semita exorbitans, in perversem tyrannicamque cupiditatem dicit, & pro Republicæ cura effterati animi propositum exhibere facit, tamquam illos refrenatura Lex & vetus statuit, ne præsides in suis provinciis contratus & sponsalia ineundi facultatem haberent. Atque hanc quidem jurisdictionem, quum in filiis, nepotibus, & aliis constituisset, filiarum elocationem non prohibuit. Hoc igitur nos, tanquam quod desit, optime Legi adjicientes, statuimus, ut, quibus Præsidatus obvenit, quemadmodum filios, aliosque virilis sexus cognatos & domesticos: ita quoque filias aliasque feminini sexus personas, in suis quique Provinciis in matrimonium collæcare prohibeantur.

CONST. XXII. (1. Nov. 85. infr. Nov. Justin. 127. c. 3. (2. d. Nov. 127 c. 3.

CONST. XXIII. (1. l. unic. C. si rector provinciæ, vel ad eum pertinentes.

Corp. Juris Civ. TOM. II

Quid enim causæ est, quare filius, & si quis aliis virilis sexus est, decreto obnoxius sit, filia vero a Legis observatione libera permaneat? quum præsertim virilis sexus sæpenumero multis & modis, & exercitiis sibi, conjugi, aliisque, quos affinitas coniunctit, utilis esse possit. Nam dignitates fortasse consecutus, aut mercatura aliqua instituta, aliave sustentandæ vitæ cura suscepit, neque sibi (quomodo dixi,) neque aliis propinquis inutilis fuerit. Quæ ut muliebris sexus subeat, non fere idoneus est.

## CONSTIT. XXIV.

NE FILII NATURALES CUM ADOPTIVIS MATRIMONIUM CONTRAHANT. I

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Multi, dum prisca tempora laudibus celebrant, prima illis in ordinandis constitutis que rebus tribuere volunt. Atque illa in plerisque recentiora vincere, scio quidem & ego: verumtamen in nonnullis vinci etiam video. Et cum non pauca sint, in quibus a recentioribus temporibus illa superentur, tum vero maxime in adoptionibus id fieri conspicitur: quas illa adoptiones neutram decenti cum ritu & ornatu faciebant, dum citra & divinum sacrificium divinosque cantus faciebant: & qui adoptari vellent, id illis simpliciter fieri Lex permittebat. Unde usu veniebat persæpe, ut sororis appellatio in uxoris transiret, & quæ puella paullo ante filia dicta esset, nurus nomine compellaretur; aut filius qui esset, pro eo gener agnosceretur: quando videlicet naturalis quemque adoptio in filiorum ordinem collocarat, matrimoniali commercio inter se jungerentur: ac susque deus isthac actio haberetur: quod cum sacrum ministerium non intervenisset, nullum inde ad matrimoniale consuetudinem existeret obstaculum. Ceterum olim, quum decenti ratione non adoptaretur, quamquam matrimonium infame quiddam complectetur, non tamen nefarium aliquid continebat. Verum nunc, quum adoptio secundum ritus tum decoros, tum justos fiat, & per sacrosanctum sacrificium hic in parentum locum, illi vero in filiorum jus subeant, nulla amplius reliqua ratio est, ut filii adoptivi cum naturaliter genitis in matrimonium connectantur. Quocirca etiam statuimus, ut, qui eo modo fratrum nomen subierint, iis nequaquam mutato fraternalis jure in matrimonium jungi liceat.

## CONSTIT. XXV.

DE EMANCIPATIONE. ET DOTIS RESTITUTIONE.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ a veteribus Imperatoribus de emancipatione constituta sunt eximia illa quidem, dignaque, quæ ab innovatione libera conserventur, haud scio, quomodo non decentem reverentiam obtinuerint: sed, tametsi non omnino, at certe despici tamen cernantur. Non recte sane. Quod enim statuerunt, servis libertate donatis, non prouersus non auferri munificentiam posse: sed si quis in unam aliquam vetitarum causarum, quæ libertatis dignitatem in servitutis habitum transformare possunt, malo animo commisso deprehenderet, uti tum rursum & in servorum locum dederetur: illos religiose omnes audiunt, Legisque lationem venerantur. Quod vero liberis parentum potestate semel liberatis, libera animi voluntate per omnia plene uti permittunt & non vivum est audiendum, neque, quasi illi improbanda statuissent, decreto acquiescendum. Sed manifestum nunc est, nulla id ratione (neque enim Lege noviter lata reprobatum est) auctoritate privatum esse. Quidam saltem judex censuit (& miror, quo pacto censuerit) ne, qui liberi sui juris facti essent, similiter potestatem, quam cepissent, haberent: sed nisi ipsis liberi essent, liberum arbitrium abrogaretur, rursumque patriæ potestati subjecerentur. Neque vero ille hoc unum censuit, sed etiam si quis ex semine suo efflorescentem foetum viderit, ac vero hunc mors torvis oculis inspicerit, itaque ad liberorum orbitatem redactus sit: ut ille pariter cum liberis libera voluntatem amitteret, neque testamenti factionem haberet, neque, quæ donata a parentibus essent, pro arbitrio administrare permetteretur. Atque hoc quidem ubi non nullis placuerit, facileque a posterioribus suscepit esse, desperata veteri Legislatione, in hodiernum usque diem in Republica valere conspicitur. Nos itaque pristinam Legum hac de re auctoritatem renovantes, statuimus, ne quis illorum, qui de dotis resti-

CONST. XXIV. (1. Abrogatur l. 17. ff. deritum mpt. (2. Novell. 89. infr.

CONST. XXV. (1. l. 2. C. delibertis (2. Videtamen l. unic. C. de in- grat. liberis.

R r 3

tatione disceptant, resiciatur, infectaque re inanis dimittatur. At quid ajunt illæ si filius liberis orbetur, donum quod illi a patre processerit, ad donatorem oportere reverti: quod vero aut a matre, aut ab extraneo quopiam donatum filius habet, non item, nisi reverti debere id donatores pacto complexi sint. Sed & quæ filii patres inter emancipandam dederunt, apud eos, qui acceperunt, irrevocabiliter permanere, illosque de illis testari jubent: nisi pacti cujuspiam, quum pater donaret, initio obstatum subsit. Nos itaque in harum sententiam pedibus eentes, scire omnes jube-  
mus, si filius sui juris factus, nullosque liberos habens testetur: parentes illa dumtaxat, quæ ex Lege Falcidia ad ipsos manant, nisi pactum (quo modo supra dictum est) initium sit, percepiuros: reliquos vero cognatos, quamquam ab intestato vocarentur, ut qui de restitutione pactum interponere neglexerunt, omnino nihil. Illud porto annotatu dignum, solum 4 virilis personæ in potestate esse filium dici. Ceterum, quoniam præter alios modo hic quoque sui juris filium esse ostendebat, si qui ipsum in potestate habe-  
bat, (sive is pater, sive avus esset) libertate ipsum suo ore donasset: nos hoc insuper anneximus, ut, si pro suo saltem at-  
tratu vivere filius videatur, (sive id ejus verbis, cuius sub potestate degit, concessum fuerit, sive verbis quidem concessum non fit, sed consensus tacitus & filio ritæ rationes separatim instituenti non adversatus sit, verum ipsum suo modo seorsum vivere per-  
mitserit.) tametsi a conjugii commercio liber sit, jus tamen liberi arbitrii ratum illi & confirmatum sit. Etenim, si servi semel jugo emitti, dum mali non apparent, iterum illud trahere non coguntur: quomodo indignum non est, filios patria potestate liberatos, denuo sub jugum mittere, ipsosque perpetua libertate, qua-  
quomodo dixi, servi etiam fruantur, expertes esse.

## CONST. XXVI.

UT EUNUCHI ADOPTARE POSSINT. I  
Idem Imperator Styliano excellentissimo sacrorum  
officiorum Magistro.

**M**agnum sane excellensque donum & a Deo creatore ad mortales promanavit, matrimonium. Non modo enim naturæ mortis ingluvie obnoxia opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depascitur, non omnino deperire sinens: verum etiam per liberorum procreationem permagna alio qui hominum ritæ præstat. Nam quid ea, quæ ex liberis percipiuntur, voluptate ad oblectandos hominum animos suavius? aut vero quid in humanæ ritæ negotiis, cum aliis, tum quæ in senectate nobis se offerant, utilius? Levari certe senectutis molestias liberorum ministerio videmus. Verum, quoniam eam utilitatem per matrimonii commercium consequi non omnes valeant, voluit Lex, & recte quidem, in eos, qui id donum a natura non accepissent, sua benignitate beneficium conferre. At id propositum non ita erga omnes servavit, ut omni defectu vacuum beneficium daret. Aliis enim etiam extra matrimonium acquirendi liberos potestatem fecit, alios hujus beneficiorum exortes reliquit. Quamquam ejus Legis, quæ in hoc semel edita esset: ut liberorum orbitate, qui nullos haberent, liberaret, ac sua ope patres, quibus ex matrimonio id esse non contigisset, efficeret, pertinere ad omnes beneficentiam conveniebat. Verum illa id ita non vult, sed rejecit illos, qui lethalia passi sunt: quorum tamen, quod injuria affecti, generandique facultate privati sint, misereri par erat. Repulsæ autem causam hanc ponit: quod dicat: Quos & natura ad generandum non idoneos neverit, hos neque Legem hoc beneficio affecturam. At vero non natura, sed hominum injuria his generandi vim ademit. Qui homines, si præter injuriam, quam ab hominibus sustinuerunt, alteram per Leges non subirent, dignum fore Imperatoria nostra Majestas rata statuit, ut, si adoptare vellent, liberam id faciendi potestatem haberent. Existimo enim illic beneficium magis esse necessarium, ubi ejus impensis requiritur utilitas. Eunachis autem præcipue liberorum acquisitione, quæ per Legem sit, est necessaria, eoque magis, quod una hac ratione, ut patres sint, consequantur: itaque liberorum ministerio ipsis frui contingat: quo inhumanum esset, si, quod genitalibus privati sint, insuper etiam privarentur. Sed quemadmodum,

cui 4 vocis usus ademptus est, quæ lingua munia sunt, per ma-  
num adimplere; & qui sermonem labris fundere nequit, per  
scripturam ad ordinandas res suas procedere non prohibetur s: ita neque qui, quod genitalibus privati sunt liberos non habent,  
horum indigentiam alio modo compensare vetandum est.

## CONSTIT. XXVII.

UT PARITER OMNIBUS I ADOPTARE LICEAT.

Idem Imperator eidem Styliano.

**C**um eos, qui sua industria rem aliquam humanæ ritæ utiler-  
ad invenire student, in commune illam proponere, quam &  
certis hominibus devovere, aliosque ejus expertes relinquere, de-  
centius sit: tum vero longe magis Legum beneficium commune  
esse convenit. Nam sicut sub Principe, virtute, sic sub Legibus,  
quotquot illis paremus atque subditi sumus, illarum beneficium in  
commune frui debemus. At, quid sibi vult hoc procerum?  
Quod, quum liberorum orbitate infelices liberare infortunio Lex  
vellet, adoptare, & quod a natura accipi non posset, opinione com-  
parare, jubendo, non erga omnes similiter servarit propositum:  
atque viros quidem & mulieres, quas natura, postquam 3 matres  
novisset, adoptione sobolis ad liberorum orbitatem redigisset,  
adoptandi jure donarit: Eunuchos 4 vero & mulieres, e quarum  
sunt nondum ullus foetus efflatus, beneficio indigos censuerit,  
tam viliter nescio quomodo ratiocinata. Non enim, quia hoc in-  
commodo, ut natura patres esse nequeant, eunuchi affecti sint,  
continuo, eidem incomodum Lege augeri & oportet: sed e diver-  
so ejus rei defectum alio modo compensari non prohibere, longe  
magis par est: quemadmodum aliis membris, quæ ad actiones na-  
turales requiruntur (ut manibus & pedibus) mutilatis, aut si  
qua alia parte privati sint homines, illi quocumque possunt modo,  
mutilationem sancire non prohibentur. Jam vero neque mulieres,  
quia matres non fuerint, ne adoptent, coerceri, rationi consen-  
taneum est. Qua enim ratio est, ut illis, quod liberis orbitæ  
sunt, denuo acquirendorum liberorum jus largiare: has vero,  
quod istiusmodi possessionis prouersus inopes fuerint, per omnem  
vitam in illa inopia vivere velis? Et certe, si hæc præcipua libe-  
rorum utilitas est, ut parentes in senio sustentent: quo pacto non  
tam his, quam illis, ex æquo ut beneficii participes essent, con-  
cedere æquum fuit? Sic enim, quibus tenues arctaæ facultates  
sunt, filiorum ope & auxilio levior paupertas esset: quæ vero illas  
omni rerum copia affuentes habent, & his adoptio conduceret.  
Nam qui in filii locum assumptus esset, is & inserviens matri, &  
pro illa, quæ par est, filium facere sedulo exequens, quum bona  
illius, ita ut in suo statu manerent, administraret: tum cum  
matre curarum onus partitus, ut illa tranquilius latiusque vive-  
ret, efficeret. Nostra itaque Imperatoria Majestas, iis Legibus,  
quæ adoptare his, quos diximus, non permittunt, administra-  
tionem abrogans, evulgat Legem, quæ omnibus, qui adoptare  
velint, sive quispiam virili facultate orbatus sit, sive aliquam nec  
dum matrem Sol viderit, ejus faciendi potestatem facit: non so-  
lum autem ob commoditates, quas ex adoptione manare dixi, sed  
etiam quod inde virginitatis decus cohonestari animadvertis. Si  
quidem quæ conjugali consuetudini virginitatem anteponunt, in-  
teriorque liberorum desiderio punguntur, quum id extra matri-  
monii consuetudinem consequi se posse videbunt, virginitatis ho-  
nestatem negligere non sustinebunt. Neque porro verum est, ut  
quia mulieri liberos in potestate habere permisum non est, idcirco  
illi adoptare non liceat. Primum enim, quia si quis hoc admittat,  
non modo mulieres, quæ nunquam pepererunt, verum etiam quæ  
matres extiterunt, ab adoptione acerit. Femina enim (ut Lex 7  
inquit) habere in potestate non potest. Deinde quæ hoc sanxit Lex,  
loquitur de illis, qui a matribus recedentes seorsum suo arbitratu  
vivere malunt: non item vero de iis, qui materna imperia li-  
benter tolerant, ipsarumque præscriptis per omnem vitam parete  
proposuerunt. Non igitur obedientiam & famulatum voluntarium,  
quamquam is rarus sit, Lex prohibet: sed illic femina potestate  
privatur, ubi voluntatis assensus ad obedientiam non coit. Nam  
si hoc ita sit, quomodo multæ matres jam viduæ liberos secum  
una viventes & subditos ad extremum usque diem habent, &

(3.l.2.C.de emancipationib l.8.C.de bon.proscript.l.17.C.de collatio-  
nib. (4.l.13.ff.de suis.l.5.C.de adoption. (5.Abrogatur l.3.C.de eman-  
cationib.

CONST. XXVI. (1.Abrogatur §.9.Inst.de adoptionib. (2.Nov.22  
inpr.Nov.39.infin.pr. (3.d.§.9.Inst.de adoptionib.

(4.l.10 qui testam facere. (5.Fac.l.10.ff.d.t.

CONST. XXVII. (1.Abrogatur §.10 Inst.l.5.C.de adoption. (2.  
Adde Nov.Justin.60.c.1.infin (3.d.l.5.C.de adoptionib. (4.v.Nov.26.  
supr. (5.Nov.40.infr. (6.d.Nov.26 supr.l.10 ff qui testam fac. (7.  
l.5.C.5.10.Inst.de adopt.

animam in illorum manibus expirantes, maternæ benedictionis, suarumque facultatum illos relinquunt heredes? Porro & illud etiam Imperatoria nostra Majestas benignè subditis largitur, ut non modo ab Imperatore (quemadmodum vetustiores & Leges præcepere) sed etiam a quocumque, cuius cujuscumque loci rectio injuncta erit, qui adoptare volet, id faciendo facultatem accipere possit.

**C O N S T I T . XXVIII.**  
**\* Q U O T E M P O R E I , E T A Q U I B U S R E R U M S U A R U M**  
**A D M I N I S T R A T I O A D U L T I S C O N C E D I L I C E A T .**

*Idem Imp. Styliano excellentiss. sacrorum  
Officiorum Magistro.*

Quandoquidem hoc etiam Legislatoribus recte placuit, ut & minoribus curatores præficerentur, qui parentum de illis cum supplentes, & aetatis imbecillitatem curæ haberent, & bona convenienti sollicitudine illæsa conservarent: quod Legislationi recte se habenti deest, ex bonis addendum putavimus. At quis ille defectus est? Quod a solo Imperatore, jussis recedere curatoribus, rerum administrationem tradi minoribus; idque, quum jam præfinitæ aetatis modum attigerint, (quem maribus vigescimus, foeminis vero decimus octavus annus tribuit) & tamquam ad hanc aetatem, qua sapere recteque atque utiliter res suas administrare possunt, jam pervenerint, in plenam rerum suarum potestatem collocari velit. Verum, quoniam, ut sapient, omnibus non eadem aetate contingit, non ita simpliciter statui, neque ex sola aetate ad rerum suarum gubernationem pariter omnes produci oportebat; sed erat, quam aetatem cuiusque eorum, qui rerum suarum administrationem suscepturn essent, status requireret, inspiciendum. Quid euim? an quum hic, postquam eam aetatem egressus sit, nondum autem satis sapere cooperit, administratione dignus judicatus fuerit, ille, quamquam etiamnum infra eam aetatem sit, prudentia tamen non destituatur, ut recte res suas administrandas suscipere non possit, ab administratione arcendus erit? Quando igitur non minus animo, quam corpore inter se homines differunt, & alii etiam ante legitimum tempus rationem bene constitutam habent: aliis vero etiam id supergressis mens nondum stabilita est: quod Lex hæc ita vellet, ut defectuosa eadem esset, factum est. Quin & alia hujus Legislationis incommoda sunt. Ac primum quidem, quod difficile, imo vero prorsus impossibile sit, ut ad omnes Legislatores voluntas pertingat. Quomodo namque qui longis terra, marisque distincentur intervallis (ut interim alias vita difficultates, ut morbos, insidiatum hostilium metus, membrorumque mutilationes omittam: que persæpe difficultates, ne in ipso quidem domicilio loco prodire, nedum longinquam professionem suscipers permittunt) quomodo, inquam, hisce, sexcentisque, que mortalium vitam allidunt, rebus aliis adolescentes impediti, rerum suarum administrationem ab unius Imperatoris nutu petent? Quod ergo (sicut superius diximus) Legislationi deerat, id adimplentes, jubemus, ut, qui puberes imperfectæ aetatis tempus jam supererant (mares nempe annum XX. foeminæ vero XVIII.) animumque ad res gerendas idoneum habent, ac prudentiam, qua administratione refrenata res non labefactet, ut illa nocenter concessa non videatur, collegerunt: his plena rerum suarum auctoritas detur. Accipiunto itaque hi, justaque potestate res suas agunto. At quibus rerum recte gerendarum judicium adhuc deest, eo quod sibi ipsis (utpote qui, quum gubernare debeant, imprudentia imperio regantur) damnosæ futuri sint, etiamsi id tempus prætergressi fuerint, non percipient. Si quidem si, qui propositus finis erat, ut bona recte administrarentur, is needum præsens sit, qua ratione, quamquam aetas advenerit, cum periculo ipsis committentur, que ipsius procuratione non recte administrabuntur? Ad hunc ergo modum, qui rebus prudenter præsse poterunt, tametsi & ad administrationis tempus haud dum pervenerint, non prohibebuntur. Unum est enim, quod requiritur, ne bona labefactentur: quod quum adsit, supervacaneum est aetatem expectare. Et non tantum Imperator rerum suarum procurationem, administrationemque concedet, verum etiam & quibus cujuscumque loci Magistratus obtigerit, plenamque jurisdictionem habent. Ita enim Legilatoris providentia omnibus, qui indigebunt, utilis erit, atque Lex vim suam magis exeret.

(2.d. §.10.

CONST. XXVIII. (1.l.2.C.de his, qui veniam aetatis. (2.Inst.de curatorib. (3.d.l.2. (4.l.1.l.2.l.3.l.4.C.de his, qui veniam aetatis.

**C O N S T I T . XXIX.**  
**\* U T A N C I L L A R U M P A R T U S A P U D A L I U M E D I T U S ,**  
**A D I P S I U S D O M I N U M S E Q U A T U R .**

*Idem Imper. eidem Styliano.*

Quemadmodum hunc sermonem, qui nullam præ se fert mendacii perversitatem, verum esse, a que rectum scimus: ita etiam veram Legem, quæ iniuritate perverti non deprehendit. Atque adeo, si qua id non observat, ea Lex non est, quanvis ea appellatione digna habita sit. Si enim hoc Legis est, ut i cūque ius suum tribuat, quomodo, quæ hoc non præstat, Lex erit? At, cum aliæ etiam nomine tenus Leges in id committere deprehensa sunt, tum vero illa & maxime, quæ partum ancillæ, quæ non apud dominum, sed furto alieno modo subducta, apud alium quempiam pepererit, postquam facinus innotuit, non cum matre ad suum dominium abire, sed ab hoc, quem alieni mancipii dominum fuisse constat, detineri jubet. Hoc itaque, quia non recte se habere visum est, convenienti medela nos dignati, uti suus matrem partus sequatur, jubemus. Non enim quia fur, quæ Lex domino persolvi debere decernit, obtinet, idcirco etiam ille ancillæ sua partu privari, eumque aliis lucrari debet. Ad lucrum autem huic satis sit, quod illa ad ministerium pro arbitrio usus est. At dixerit aliquis: Sed si quid in illam, dum possedit, impenderit, oportet & ipsum ex pretio lucrari: ideoque alienum non est partum apud ipsum permanere. Atqui si quisquam ad detinendum foetum hoc rationem præbere putat, quomodo, ut ille matrem sequi debeat, a domino persolutum pretium, non majorem præbebit? Quis, quomodo convenientius non est, si qui perdidit, indeque dolores in corde pertulit, ex accessione delinimentum sentiat: quam si ille eam habeat, qui præterquam quod nihil amisit (ab illo enim, qui furto subductam ancillam ipsi vendidit, pretium recuperare licet) ancillæ etiam ministerium lucratus est? Neutiquam ergo (quomodo diximus) detineatur partus, sed quemadmodum matrem, sic etiam filium prior dominus habeat. Sive enim qui furtum commisit, dives sit, tumque ipsi quod male accepit, ejus pretium reddat, nihil amplius negotii restet: sive mortuus, aut vivus adhuc inopia labore, ut quæ Lex a furibus exigit, exsolvore nequeat, tum vero quoque, qui ancillam amisit, ejus calamitatem filii cum matre receptione deliniri aquius sit.

**C O N S T I T . XXX.**  
**D E M U L I E R E , Q U æ V I V O M A R I T O A L I O S**  
**D E M A T R I M O N I O C O M P E L L A T . I**

*Idem Imp. eidem Styliano.*

Ut, quam Leges Republicæ inutiles deprehenduntur, necessario illas justa Republicæ providentia in melius transformas: ita quoque ejusdem providentia munus sit, ut Leges recte constitutas, nihilque subditos contristantes a male constitutis, subditosque contristantibus felicit, hisque illas anteponat: præsertim vero quando eadem de re duæ inter se pugnantes Leges fruantur. Quomodo enim ratione fultum sit, si quum Duces, atque Praefecti ex pejoribus præstantiores elegantur, & qui in gubernatione ad subditorum utilitatem omnia facturi putantur, præponantur: non item ex Legibus, quibus, donec Respublica consistet, præesse datur, quum contra temporanea Ducum Præfecturam, non præstantissimæ, sed pejoris nota, quasque neque a principio innotuisse decuisset, ad gubernacula deducantur? At, quorum sum hæc a nobis dicta sunt? Justinianus ille, ejus diadema præter religionem subditorum cura etiam decoravit, quum prius de solutione matrimoniorum Sanctionem edidisset: ut, si mulier marito etiamnum superstite de matrimonio eum altero agat, non amplius illam, ut ipsis membrum ipsi jungi liceat, sed ceu insidiatrix ab ipso avellatur: postmodum & sibi ipse contradicens, ob hanc causam dirimi non permittit matrimonium. Nos itaque priorem hominis voluntatem, ut quæ his ipsis, quæ statuit, rotoretur, & adversus matrimonia insidias præcidat, humanæ vitæ conducibiliorem esse intelligentes: eam lege lata in Republica observari jubemus: quam vero cantata palinodia evulgavit, eam in Republicæ nostræ theatro locum invenire non permittimus. Si qua igitur marito adhuc vivo, de contrahendo matrimonio cum altero sermonem habuisse deprehendatur, ut, quæ seipsa

CONST. XXIX. (1.l.10 ff. d. just. & jure. (2.l.10. in fin. l.33. pr. ff. de usurpar. l.43. §.5 ff. de furtis.

CONST. XXX. (1. Nov. 22. 6. 16. §. 1. (2.d. Nov. 22. 6. 16. §. 1. (3. Nov. 117. 6. 8. in fin.

nefario proposito abruperit, & matrimonii solutione ab illo abstrahetur, & profecto etiam pecuniariis poenam, quibus, quæ aliis modis a maritis avelluntur, obnoxia sunt, subjicietur. Quæ enim matrimonii compage in unam carnem cum marito coit, non acquiescit autem, sed simul ad alium respiciendo, Creatorem, qui illam conjunxit, contumelia afficit, simul in maritum hostili animo est: quomodo non juste hæc, quum peius se ipsa a conjunctione prorsus abruperit, abscondatur? Et sane, quando mulier protervo proposito oculum a membro suo avertens, in alienum respicere gestit: quæ alia signa & testimonia ipsam in maritum hostilia cogitare desideres?

## CONSTIT. XXXI.

UT, QUÆ MULIER MARITI ODIO ABORTAT,  
REPUDIARI AB ILLO POSSIT. I

*Idem Imp. eidem Styliano.*

Qui hominem e terra creavit, costa ipsius in mulierem transformata, adjutricem illi ex ipsius membris conjunxit, quo videlicet suæ creationis causam illa cognoscens, vel hinc discat, qua Lege erga conjugem, benevolentiam, atque amorem contaminatum conservet. Quæ igitur ita animata est, benevolentiamque suam marito custodit, revera illa auxiliatrix est, neque Conditoris promissum fallit: quæ vero diverso animo est, non amplius neque hoc esse cognoscitur, neque, quamquam coniugium in unum illam cum marito cogere annis fuerit, caro ex carne, membrumve ipsius est. Idcirco quum de muliere, quæ propter inimicitias, quas cum marito habet, de industria abortando 2, neque in vita lucem fœtum producendo, seminis ipsius fructum opprimit, duæ Leges latæ sint, quarum una 3 repudiare injuria affectum maritum jubeat, altera 4 vero non permittat: Nos, Legi divorcium suadenti assidentes, illi ut multo utiliori auctoritate attribuimus. Alienum enim mihi a ratione, prorsusque iniquum videtur, ut quæ tam apertum in maritum odium suscepit, ut ipsius semen disperdat (ut interim omittam, quod communi naturæ insidiata sit) ipsi cohabitet. Nam si qui alicui alii operi damnum inferunt, eos tamquam inimicos aversamur: quomodo eam, quæ procreandorum liberorum operi, tum maxime necessario, tum præstantissimo noxam fecit, ipse, qui damno affectus est, ut suam apud se habere poterit, nec ut insidiatricem & hostem dimittet? Quod insuper evidenter signum requiras, ut mulierem marito inimicam esse cognoscas? Quo modo id inde manifestum non est, quod dum adversus illum hostilia cogitat, in vitam progressu fœtum privat? Quomodo igitur dictum est, Lex, quæ ipsos separat, obtinet, maritusque secedendi a muliere in hoc facinore deprehensa, facultatem habeto. Nam si quæ solum extra 5 ades mansit, aut cum hominibus, cum quibus non deceret, convivata 6 est, hanc Lex a nexu matrimoniali separat (quum tamen hic in maritum odii nullum tam evidens testimonium sit, & accidisse id illi citra matrimonii injuriam videri etiam possit) cuius rationis erit, eam, quæ tantum, tamque in maritum & naturam injurium odium conceperit, non disjungere, si ita marito videatur, & jubere ipsum uxorem habere, quæ ipsius vita insidietur?

## CONSTIT. XXXII.

DE ADULTERIS MANIFESTO & DEPREHENSIS.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Adulterii scelus, si quod aliud, gravem horrendaque poenam exigit, & ut puto homicidii poena non minorem. Homicida enim persæpe unius tantum sanguinaria manu vitam evertit: scelus vero adulterii perpetrator quamplurimos fere de medio tollit, maritum, liberos, cognatos, aliosque, dum uno vulnere dilacerato matrimonio omnes prosternit. Verumtamen quia cum olim id facinus morte 2 puniretur, visum est posterioribus mitiorem proferre sententiam: ac vero nos fere ad benigniora trahimur: quam illi constituerunt poenam, ut nempe natus de testandis illis ambobus abscondatur, hanc & nos statuimus. Atque hæc quidem nefarii istius sceleris esto poena. Ac quoniam maritum pro tanta injuria citta consolationem relinqui non

CONST. XXXI. (1. Nov. 22. c. 16. §. 1. (2. v. l. 8 ff. d. ad leg. Cornel. de scariis. l. 39. ff. de pœnis. (3. d. Nov. 22. c. 16. §. 1. (4. Nov. 117. c. 8. in fin. (5. d. Nov. 117. c. 8. §. 5. (6. d. Nov. 22. c. 15. §. 2. d. Novell. 117. c. 8. §. 4.

CONST. XXXII. (1. Faec. l. 23. ff. ad leg. Iul. de adulteriis. (2. l. 30. in fin. c. d. t.

oportet, in matrimonij jus injuriæ mulieris 3 dotem percipiendō se consolator. Insuper mulieri ad alteras nuptias prosultare, neque, quasi in nisi abscissione p̄mum acceperit, libere in posterum se cum libidinosis commiscere, nequaquam permittitor: sed ob scelus commissum in Monasterium (ubi in contritione animæ leviores sibi pœnam faciat) velut in exilium detruditor. Et, si Monasticæ vitæ desiderio correpta, illam suscepit, quæcumque ipsius bona a dote separata sunt, ea liberi & Monasterium inter se distribuunt: si liberi nulli supersint, pro illis parentes, & si neque hi sint, alii cognati ad divisionem inducuntur. Quod si in profano habitu e vita excedat, cum testamenti factionem omnino habeat, prout illa constituerit, quæ bona extra dotem habuit, dispensabuntur.

## CONSTIT. XXXIII.

NE CAPTIVORUM UXORIBUS ALIIS NUBERE LICEAT. I

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Si qui olim Leges tractarunt, eo fuisse animo, ut prorsus sua, quamquam in illis correctione nonnulla indigerent, quasi tamen nollent, suspicatus essent: fortasse nunquam hoc consilium suscepisse, ut Leges, quæ sese recte non haberent, corrigerent tentarem, & tametsi arcta Reipublicæ cura, quo videlicet recte illa administraretur, necessario correctionem injunxit: ut ne tamen primos Legislatores contristare videremur, qui nos in hoc impetus ferret, inhibuissent. At quoniam illis quoque ipsi, si etiam in vivis essent, non modo illorum institutum, qui corrigerent conantur, non displicitum, sed eosdem etiam, qui ita faciendum cesserent, his gratias asturos arbitrari, (non enim gloriæ causa, sed quod Reipublicæ commoda curæ haberent, Leges edidere) age, quæ Reipublicæ conducant, neque illis ipsi veteribus Legislatoribus displiceant, facientes, exactiore consideratione, seu medicamento quodam Pæonio, Legum morbos propitio Deo curessemus. Supra cetera etiam, ubi de captivis sanxerunt, hoc caput, in quo de matrimonii dissolutione statuerunt, valde rationi esse dissidente videtur. Sic autem & in hæc verba ajunt 2, sive marito captivitatis infortunium accidat, manente uxore in civitate: sive quum uxor in jus captivitatis pervenit, maritus in civitate permaneat: exquisita quidem, & subtilis ratio distrahit matrimonium. Semel enim servitute alteri superveniente, conditionis inæqualitas æqualitatem, quæ in nuptiis spectatur, permanere non patitur. Nos tamen humanius talia contemplantes, donec certum est superesse maritum vel uxorem, pro non solutis matrimonia haberi sinimus: neque ad alias migrabunt nuptias vel mariti, vel uxores, nisi petulanter id egisse videri velint, & in pœnas incidere, ille quidem exactioonis donationis ante nuptias, hæc vero dotis. Hi ergo istiusmodi de captivorum matrimonio pronunciarunt sententiam. Nobis autem neque causa, quam exquisita (ut ipsi loquuntur) subtilisque ratio suppeditat, rationi esse consentanea: neque humanitas, quæ dirimendi matrimonii facultatem præbet, dum ipsos damno subjicit, sincera videtur. Si enim (quemadmodum inquietum) durare matrimonium fortunæ non 3 permittit inæqualitas, quomodo, si ad libertatem revocetur captivus, quum post matrimonii dissolutionem ad æquabilitatem fortuna redeat, amboque in libertate vivant, ad æqualitatem matrimonium non redibit? Quæ vero illa sincera humanitas, quæ amicissimorum membrorum subtractione damnum inferre, aliorumque substitutione id quasi sarcire conatur? Quomodo item, et si usque ad vilissima quæque captivorum substantia jure statuque ipsorum integro taxetur, illos non ita præstantiore parte (sui nempe membris conservatione) atque rerum suarum jure periclitari velle, immensumque damnum fore, si altera pars membrum suum negligere in animum inducat, non perquam est manifestum: Quid igitur ergo? Si, quum altera pars in captivitate sit, altera, quæ a captivitate libera mansit, ad alterius conjugium respexerit: postliminio vero revertatur, quæ in captivitate detenta fuit: ut si illi velit, suum membrum recipiendi 4 facultas sit, ac nequaquam, quod alteri conjugium fuerit, prius matrimonium innovetur. Si enim conjugium cum altero postmodum initum videbitur aliquibus dissolvi non oportere, quomodo non æquius fuerit, si primus matrimonii

(3. Nov. 117. c. 8. §. 2. Nov. 134. c. 10.

CONST. XXXIII. (1. Abrogatur Nov. 22. c. 7. vers. si vero incertum. Nov. 117. c. 12. (2. d. Nov. 22. c. 7. in princ. (3. l. 45. in fin. ff. de ritu nup. l. 1. ff. de divorc. l. 65. ff. soluto matrim. l. 12. §. 4. ff. de captivis. (4. Novell. 117. c. 11.

nexus in suum statum revertatur? Et si, eo quod alienæ parti conjunctum sit, id quispiam avelli non permittat: quomodo quod a sua parte abruptum sit, id in suum locum restitu, rationi non fuerit consentaneum? At dixerit aliquis? Sed in lucrum captivis cedit, quod propter alterum temeritate contractum matrimonium, per compensationem pœnæ nomine introductum est. Verum hunc sermonem non dico non labris exprimi, sed ne in mentem quidem auctoribus ejus venire melius fuerit. Nam quomodo ille, qui membrum suum pecuniis commutat, non extrema mentis infelicitate, & penuria laborat? Sancimus itaque, ut nequaquam amplius, quæ pars a servitute intacta mansit, ad alterius conjugium procedat: sed quotcumque annis altera in servitutis miseria detinebitur, tametsi inde nullam neque de scripto, neque citra scriptum, significationem accipiat, illam exspectet. Et quod si præter hanc Legem alterius matrimonii commercio a priore abrumpi aliqui velint, idque non secundum observationem in Novella centesima decima septima s de uxoribus eorum, qui in expeditione sunt, relata, fiat: sciunto illi, quod positis in dicta constitutione pœnis subjacebunt. Insuper etiam (quemadmodum diximus) ut, si qui servitutis arumnas sustinet, liberetur, suum, si velit, membrum recipiat, licebit.

## C O N S T I T . XXXIV.

## DE TUTOR E, QUI PUPILLAM SUAM VITIAT. I.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Nefaria res est, si illi, de quibus ea exspectatio fuerat, quasi probi futuri essent, quum ab illis, qui tales de ipsis opinionem conceperant, jam aliqua fide digni habiti sint, pro bonis atque fidis inimicos, & infidos se exhibeant. In illis autem, quibus pupillorum obvenit cura, si, cum pupillis salutariter propicere debeant, ipsorum eversores existant, tanto id scelus gravius est, quanto illorum fides ab iis, qui id ipsis injunxerunt, major judicata est. Constat enim, quod parens persuasum habens, quos pupillaris ætatis relinquit liberos, ab eo, cui cura committenda est, paternum patrocinium sensuros, eam, cui ita fidit, demandat. Reste igitur superiores fecere, qui pro patre, conservatoreque pupillæ deprehensem vitiatorem punierunt. Deportationi & enim hunc subjiciunt, ac bonorum privatione multant. Verum in decora specie decorum non servarunt, neque ullam injuria affecta, graviaque passæ puellæ, ut illius infortunio succurrent, suscepisse curam videntur, dum vitiatoris bona in fiscum statuunt esse inferenda: non animadvertisentes hinc fieri, ut ulcisci quidem injuriam velle, sed in proposito non persistere existimentur. Ubi enim injuria ultio, quando injuria affecto dñnum injuria datum non resarcitur, neque qua tenetur calamitatem Legis auxilio effugit? Quale autem calamitatis puellæ est effugium, quando non modo infortunii compensationem non invenit, sed lucrum etiam progressu ætatis ex suo dedecore, atque infamia paratum esse videt? Ut igitur hoc Lex, tamquam probrum aliquod reprehensione africatum purgamus, ut vitiatoris bona in fiscum deferantur, abregamus: jubemus autem, ut eo concedant, quo ipsorum dominus injuriam & infortunium projecterit.

## C O N S T I T . XXXV.

## DE RAPTORIS VIRGINIS, EORUMQUE, QUI IN RAPTU ADFUERUNT, POENA. I.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Neque quod ecclesiastica Legi rebellemus, neque quod civilem simpliciter colliudamus: hanc adversus virginis raptorem sententiam proferimus: sed posteaquam, velut via quadam rebus humanis conducibili investigata, commiseratione sacræ Legis id malum quasi insolescere: civilis ergo Legis austeritate supprimi, cognovimus: in eam sententiam, unde rerum statui plus subsidii esset, inclinavimus. Vult autem civilis Lex &, ut non solum, qui per raptum & vim virginem ingenuam stupravit, morti addicatur, insuperque, supra mortis adjudicationem, bonis privat, verum etiam, qui in scelere adjumento fuerunt, eamdem & pœnam, & multam sustineant: idque tum etiam, quum voluntarie se mulier raptori dedidit. Quin & ejus patrem,

si facti conscius fuerit, deportatione punit. Neque vero tunc solum, sed etiam, si quum, quo tempore raptus committeretur, ejus rei ignarus fuerit, filiolæ vitiationem postmodum parvi pendat, reoque judicium remittat, aut istiusmodi matrimonium approbet, in incuria pœnam deportationem sustinet. Atque hæc quidem veteribus placuere. Verum sempiternæ memoriaz Pater noster non tantum in mulieris raptum, verum etiam in circumstantias oculos dirigens, ad illas sententiam accommodat, ac sancit, ut, si cum armis, sive gladiis, aliisve nonnullis præter gladium lethalibus raptus commissus sit; qui raptum fecit, gladio puniatur: utpote qui, eo quod cum armis ad id factum processerit, neque ab homicidio immunis sit: qui vero suppeditas tulerint, factive perpetratores suscepient, naso mutilentur, verberentur, & cute tenus tondeantur. Quando autem arma violencia adhibita non essent, ut mortem sententia non spectet, quod nempe tunc homicidium locum non habuerit: sed raptus auctor manus & mutilatione periclitetur. Qui vero ministerium præbuerint; alioquin se isti rei immiscuerint, verberibus, tonsura & deportatione pœnas pendant. Ac sane corporalis pœna hæc est descriptio: Quod vero ad pecuniariam attinet, ne a primitiva Legislatione 4 mutetur, ejusque effectum retineat, permittitur. Atque hæc quidem Pater noster sancit, quorum & nos approbaticem sententiam suscipientes, Legislationem illam & in præsens, & in futurum auctoritate, & effectu obsignavimus.

## C O N S T I T . XXXVI.

## UT CAPTIVI FILIUS HERES SIT. I.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Si reipublicæ sustentaculum & atque fundamentum sunt Leges, certe ut illa in tuto sit, sanitatem Leges conservent oportet. Legis autem sanitatem quid aliud, quam æquitatem quis dicat? Circa hanc itaque, quo Leges, quæ Rempublicam nostram gubernant, æquabiliter sese habeant, cogitationes nostras obvertentes, Legem illam &, quæ eum, qui ex duobus captivis natus est, heredem bonorum ejus parentis, qui apud hostes manuit, fieri non vult: hanc (inquam) Legem, ne Legum sanitatem (quæ æquitas est) privetur, periclitari animadvertisentes, illam ad sanitatem transformare voluimus. Nam quod injuste istud statuat, non difficile cognitu est. Quam enim vim locorum natura ad adscribendam filio hereditatem habet? Neque vero hoc quicquam objiciat, quod, quum parens servus sit, propter servilem conditionem filius exheres erit. Quomodo enim civilis Lex, quæ, si captivum liberari contigisset, illum liberum agnosceret, ex eo natum liberum heredem esse non permittet: sed, qui apud hostes est, seruo bonorum administrationem dabit? tum etiam, ad quem captivi bona aliquis pertinere putabit? Ad cognoscere? At, quomodo servitus obserens his ad hereditatem introitum non præcludit? Aut quomodo, quibus permisum est, non longe prius heredes esse licebit? An vero fisco danda erunt? Verum, quomodo manifesta illa injuria non est? Si etenim rationi consonum est, ut captivorum liberi e publico subsidium sentiant: quomodo captivi filium bonis privari, illaque fisco attribui, non perquam evidens injuria est? Quod si sapienter, quum nonnulli parentes graviter conscientia abusi, atque ideo pœnis subjecti, acerbeque e vivis sublati sunt, liberi eorum substantiae domini esse Lege non & prohibentur: quæ ratio est, quam obrem, quando pium propositum parentes decorat (& quidem in fidei testimonium effusus sanguis, ut eximius ipsorum animus, magnusque spiritus ipsis etiam impiis miraculo esset, persæpe effecit) liberi facultatum ipsorum domini esse non permittantur? Nequaquam itaque Constitutio illa sana esse nostræ Majestati videtur: eaque propter sancimus, uti deinceps, sive quum captivitatis caligine circumfusi parentes essent, in lucem prodiit filius, sive etiam in libertatis splendore ipsum mater peperit, parentum substantiaz heres fit: idque sive ambobus parentibus e captivitatis vinculis liberari contingat, aut non: sive, quum unus eorum libertatem nactus sit, alter in calamitatis vinculis vitam finiet: sive denique uterque parens in captivitate morietur, extra quam si mortem testamento condendo præveniant. Tunc enim illi, quos testator voluerit, heredes erunt: tamen ut trientis legitimum subsidium filio servetur.

(5. Nov. 117. cap. II.

CONST. XXXIV. (1. Mutatur l. unic. C. si quis eam, cuius tutor fuerit corrupserit. (2. d.l. unic.

CONST. XXXV. (1. Mutatur l. unic. C. de raptu virgin. adde Nov. 143. Nov. 150. (2. d.l. unic.

(3. Fac. d. Nov. 134. c. 13. (4. d.l. unic.

CONST. XXXVI. (1. Abrog. l. 1. C. de postlim. reversis. (2. Add. l. 2. ff. de legib. Nov. 163. in pr. (3. d.l. 1. (4. l. 7. pr. ff. de bon. damnat. Nov. 17. c. 12. Nov. 134. c. ult. (5. d.l. 1. C. de postlim. reversi.

## CONST. XXXVII.

\* UT DOMINI TESTAMENTO MANUMISSUS, SI ILLUM  
DECESSISSE ADITAMQUE EJUS HEREDITATEM ESSE  
IGNORET, TESTARI POSSIT. 1.  
*Idem Imperator eidem Styliano.*

Præsenti etiam Legi plena absolutione defienti, ejus, quod deest, additione decoram formam imponimus. Ait autem 2, servum qui quum domini sui testamento liber esse jussus sit, id ignorat, ideoque incertis rationibus libertatem obtinet, interea nequaquam propter ignorantiam libertate privari, sed in libertate vivere: ut autem tamquam liber testetur, ipsum potestatem non habere: quasi videlicet illam pœnitentiam, quam libertatem dedit, hanc ipsi perpetuo competere. Quum enim illi, ut libero, de rebus suis testandi facultas non sit, quomodo non ad pristinam servitutem redit? Nos itaque dicimus, posteaquam gradum statumque vita liberum præbuit Lex, illam etiam 3 alia, quæ libertatem comitantur, præbituram. Nam si ipsum facere, quæ homiibus liberis dumtaxat licet, prohibere oportebat, ipsa vero id non prohibuit, sed dignum illum, qui istuc faciat, judicavit: quare item istis actionibus, quæ proprie libertatis dignitati competit, illumque non dignabitur? Esto igitur liberate donatus, revera liber, statutoque de rebus, quas illi dominus eximias dedit, quomodocumque visum sit. Non decet enim, ut, qui libertatis dignitatem manifeste accepit, ob incertam 4 suspicione ignominia afficiatur, atque a testando arceatur.

## CONST. XXXVIII.

\* UT IMPERATORIS SERVI DE REBUS SUIS, QUOMODO  
VELINT, STATUERE POSSINT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Hoc quoque, quamquam plausibilem præ se speciem (legalem nempe ordinationem) ferat: æquitatem mihi tamen excdere videtur. Dico autem, quod servis de rebus suis statuere non permittitur: sed quæ laboribus suis, arduisque (ut coniuncte licet) molestiis quæsierint, ea cujusque domini manus colligunt. Ac sane mirari subit, quomodo ab initio lata Lex nihil moderationis, neque æquitatis huic rei attribuerit. Verumtamen ii, e quibus nata ipsa Lex est, atque adeo Lex ipsa ab aliis, ut cujuscumque voluntas feret, adprobantur. Ego autem nequaquam illos probo, neque illud placitum in servis meis obtainere sinam: sed contra, plenam ipsis administrandarum rerum suarum potestatem facio. Ex hoc itaque tempore in omnem posteritatem Imperatoris servi rerum suarum revera domini sunt: ita sane, ut sive sani sint, sive ægroti, mortem imminere putent, de rebus suis pro arbitrio statuendi, potestate non priventur: neque servitutis nomine ex rerum, quas possederint, dominio expellantur. De Imperatoris igitur servis hæc noviter lata Lex esto, vigoremque habeto. Magistratibus autem, reliquæque promiscuae plebi, si huic nostro placito acquiescere nolint, ad veterem de servilibus bonis Legem respicere fas esto.

## CONST. XXXIX.

UT PRODIGUS, QUÆ EX RE IPSIUS SINT 1,  
FACERE POSSIT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Mortalium nemo ad eam absolutionem pervenit, ut non obnoxie aliquando res suas gerat: neque quisquam (ni fallor) ita despici, quin cerebro sibi utilis esse possit. Neque enim, qui in omnibus prudentia sua fidit, hunc omnia irreprehensibiliter facere finit Deus: neque eidem, cum creator, creatureque successor sit, mentis inopem per omnia ex imprudentia frustrari permittit. Praefatus hoc sum propter illam Legem 2, quæ prodigum de rebus suis quicquam aut veile, aut statuere omnibus modis prohibet. Quam quidem Legem, conjectis in res gestas oculis, pro illarum ratione, non autem ita simpliciter sancire: & si quid inutiliter gestum esset, non admittere: in quo vero aliqua utilitas verteretur, id suscipere oportebat. Nunc vero nihil istiusmodi prescribit, sed in universum prodigo de rebus suis consulandi potestatem adimit. Id nos recto iudicio non conve-

CONST. XXXVII. (1. Abrogatur l. 14 ff. qui testam. facere poss. (2. d.l. 14. (3. arg. l. 2. ff. de jurisdict. (4. Fac. d.l. 14. in fin. l. 15 ff. qui testam. fac. poss. l. 1. pr. ff. de legat. 3.

CONST. XXXVIII. (1. l. 16. pr. l. 19. ff. qui testam. facere.

CONST. XXXIX. (1. Mutatur §. 2. Inst. quib. non est permis. fac. testam. l. 1. ff. de curat. l. 18. qui testam. (2. d. §. 2. d. l. 1. d. l. 18.

nire suspiciati, Legem illam relaxantes, statuimus, ut, quæ iudicium erroneum, quodque prodigum designet, dictet, neque approbatione, neque confirmatione digna habeantur: quæ vero ad utilitatem spectent, suscipiantur, atque nequaquam reprobentur. Quid enim, si prodigus aut hereditatem necessariis suis relinquere, aut pauperibus sua distribuere, aut denique gravem servitutis torquem servorum cervicibus adimere velit? An ideo, quod prodigus est, id illi non licere velle dicendum? Quid, si quum prædium damnosum habeat, alter quispiam, qui vitio mederi possit, majore pretio, quam quanti prædium sit, id emere, ipsumque damno levare velit? An prodigalitas, quo minus ille sibi consulat, utiliterque negotietur, impedit? At ratione non video. Quod itaque dixi, rerum gestarum conditio observator: &, si in ea prodigi mores non conspiciantur, quod actum est, ratum esto: si vero a prudenti rerum gestione aberatum esse appareat, id neque approbatione, neque confirmatione dignum habetur.

## CONST. XL.

UT CAPTIVI TESTAMENTI FACTIONEM HABEANT. 1  
*Idem Imperator eidem Styliano.*

Qui olim edendis Legibus operam navavere, cum multa ad res hamanas recte moderandas in medium protulerint, locuplesque benignitatis sua testimonium (Leges nempe, secundum quas Respublica concinno in statu conservatur) reliquerint: tum haud scio, qua ratione fecerint, ut de captivis tractatus, quibus de rebus suis statuendi potestatem non faciunt, reliqua ipsorum benignitati non responderet. Quæ enim de testamentis ipsorum Legislatio complectitur, valde comiter ac benigne constituta sunt. Nam quod statuerunt, ut interdum, quando 2 in opia testium laborarent, a minore etiam testium numero testamentum ob-signaretur: quin & nullis 3 adhibitis testibus, persæpe tamen testamentum ratum haberetur, quemadmodum de 4 iis, qui in acie occumbunt, constitutum est: permagnum fane benignitatis est argumentum. At de captivis placitum jam dictorum non esse simile, neque ex eadem benignitate prognatum videtur. Quod namque de rebus suis constitutre illis non permittunt: non solum non benignum aliquid de ipsis decreverunt, verum etiam ipsam captitatem alio modo intendunt. Quomodo enim rursus illos in captitatem non ducent? aut quomodo malum irrecrabilis tristitia non adaugetur, & morte acerbiore in corde captivus non circumferens aculeum, rebus excedit humanis: quando non modo in captitatem vitam finit, verum etiam, si qua apud contribules bona habet, de his illi constituendi potestas non est: sed suis rebus, tamquam alienis, expellitur: & quæ suis laboribus quæsierit, proque quibus suscepto periculo in captivorum infortunium ineidit, ab horum dispensatione rejicitur? Quomodo item, si quos necessarios captivus habet, ut liberos, uxores, fratres, aut alios, quos ad ipsius hereditatem Lex vocat, ii non similiter omnes obversis in hereditatem ab intestato ad se devolvendam oculis, euram liberandi captivi, illius consequenda spe non omittent? Novimus siquidem res humanas, ut pauci admodum verum amorem conservent, ejusque unius gratia ad opitulandum calamitate implicitis perpaucorum animus excitetur. At qui spe nanciscenda ejusdam remunerationis ad fermentum indigentibus auxilium procedant, horum sane longe maximus est numerus. Qua re itaque moti cognatus aliquique quispiam captivorum suscipiant curam? Si quidem statuendi facultas de rebus suis ipsis esset, nonnulli laborem damnosum sibi non futurum reputantes, non segniter illum suscepturi essent. Cogitarent etenim (ut verisimile est) si aut conatus ipsorum ad finem deduceretur, captivique libertatem consequerentur, se munus aliquod esse pro opera sua & labore accepturos; aut etiam si conatus finem mors præveniens, captivum de medio tolleret, illum in testamento suo eum, qui ipsius curam habuisset, majore portione, quam illos, qui ipsum neglexissent, dignaturum. Non enim immemorem fore ipsum, neque labores nihil facturum arbitrantur. Hac igitur ratione (quemadmodum dixi) futurum esset, ut aliqui non indiligenter ad liberandorum captivorum curam sese erigerent. Nunc vero cum hi testari prohibeantur, illi autem ab intestato

CONST. XL. (1. Abrogatur §. ult. Inst. quib. non est permis. fac. testam. l. 8. pr. ff. qui testam. fac. poss. l. 10 ff. de testam. milit. (2. l. ult. vers. in illis vero locis. C. de testamentis. (3. Immo vide §. 1. vers. si ergo miles Inst. de militari testam. l. 14 ff. de testam. milit. (4. v. l. 15. in fin. C. d. t.

heredes in bona concedant: haud scio, si, qui pro liberatione labores suscipiat, quisquam inveniri possit. Successionis enim ab intestato spes, metusve ne in vanum laboretur: si forte liberationem mors prævertat, captivumque rebus humanis eximat, homines tardiores (ut, ne prorsus animo alienos dicam) ad aggredendum facit. Quod sane non itidem contingere, si Lex illorum testamenta irrita non faceret. Jam vero, si liberanda anima premium propriæ cujusque facultates sunt, quomodo non in hoc etiam captivi injuriam longe maximam sustinent, quod dum non sinuntur a Lege de rebus suis statuere, etiamsi velint, pro animabus suis nihil rerum suarum erogare possint? Ad hæc porro cum liberationis ratio hiac absurditatem contrahant, tum vero multo absurdissimum est, quod dum testandi facultas captivis non datur, frequenter illi, qui inimicissimi fuissent, quosque ipsi, si viverent, ne aspicere quidem sustinerent, illarum facultatum domini existant. Quia quæso re quid possit esse turpius? Hoc igitur cum hunc ad modum sese habeat, non negligi debere, Majestati nostræ visum est: sed quemadmodum in aliis pro viribus divinitus nobis datis, ut recte Respublica nostra gubernetur, sollicite egimus: sic & de captivis tractatum in melius corrigere decrevimus. Sancimus autem, ut deinceps captivi, quæ ipsos a testando arceret, Legi neutram obnoxii sint: sed ut ipsis (si possibile sit, quinque, si minus, tribus testibus presentibus, extremam voluntatem, sive literis commendare, sive sine scripto pronunciare liceat: tamen, ut, qui ad testimonium assumti sunt, revera illam defuncti voluntatem esse jurejurando affirment: idque sive quum liberi subsint, illos bonorum suorum heredes relinquant, sive, quum liberos non habeant, alios in hereditatem introducant. & quum enim non putamus, ut, qui communis Reipublicæ nominis æqualiter participes sunt, ejusdemque esse gentis censentur: non æquabili ex Lege jure honorentur: ut videlicet, qui liberi a servitute sunt, statuendi de rebus suis, uti visum est, potestatem habeant: quibus vero illa manus intulit, quasi culpam commiserint, quod pro tribulibus pro pugnando in captivitatis necessitatem devenerint, non item. Ceterum, si captivorum quispiam aut sua sponte, aut eorum, quorum in potestate est, vi adactus, hoc in animum inducat, ut res suas ad hostes concedere testamento jubeat: nequaquam tunc placitum ipsius ratum sit: quasique non pro decoro Reipublicæ Christianæ testamentum factum sit, in irritum concidat. Atque hæc quidem de iis, qui vitæ finem testamento anteverterunt, sancita sunt. Si vero ultimus vitæ dies subito illi supervenerit, atque intestatus de medio sublatus sit: tum, si qui, ad quos hereditas pertinet, sive ascendentis, sive descendentes supersint, ad hos illa se conferet: si vero nulli sint, ad quos bonorum defuncti captivi successio spectet (dico quos neque ascendentis, neque descendentes defuncti familia agnoscit) primum considerari, an aliquibus debeat, deinde deducto ære alieno reliqua bifariam in trientem & bessem dividi, ac trientem demum in erogationem pro anima facienda separari, alteram autem partem in fiscum recipi jubemus: tamen ut servi his non immisceantur. Hos enim, nisi æs alienum exsolvi non possit, omnes libertate honorari volumus. Quæ eadem rerum disponendarum forma custodienda erit, quando nihil æris alieni fuerit, servitutique obnoxius (quemadmodum dictum est) sine heredibus decesserit. Quæ itaque nobis ejus Legis, quæ captivos contristabat, in mentem correctio venit, per sacram hanc exposita est Legem. Tua autem Magnificentia Sanctionem subditis notam facito: quo, cum innotuerit, omnes de rebus suis, etiam quos captivitas detinet, quocumque modo ve- lint, statuant.

## CONSTIT. XL.

\* UT IN CIVITATIBUS QUINTI 1, IN ITINERIBUS VERO ET AGRIS TRES 2 TESTES AD TESTAMENTORUM FIDEM SUFFICIENT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Cum omnibus humanæ vitæ negotiis, quæ testium fidem requiriunt, inde robur adesse oporteat, tum vero maxime, quæ ultimi vitæ nostræ diei contemplatione dispositiones fiunt, istiusmodi corroboratione indigent. Nullus enim reliquis modus est, qui recte ipsis jus distet, nisi ipsis a testibus præsidium adsit. Oportebat itaque quo magis necesse est, statuta hominum e vita decedentium firma esse, eo quoque magis eadem per testimonia stabiliri. Verum quoniam frequenter res propter eorum, quæ strictius re-

quiruntur penuriam, ad possibilem modum deduci videamus (cum namque stricto jure uti non datur, quemque quo modo potest uti necessitas est) de testium numero, quo testamentis adesse debeant, statuere non alienum a providentia nobis visum est. Atque hoc quidem etiam sempiternæ memoriarum Patri nostro in mentem venit: verum quod statuit, non valde id exacte statutum esse judicatum est. Quum enim superiorum Legislatorum 3 alius septem, alius in civitatibus, quippe ubi propter hominum multitudinem, ut consentaneum est, testes defuturi non sunt: in agris vero & itineribus, quinque, quod magna illuc plerumque hominum fide dignorum raritas sit) cum hoc (inquam) ita de illis constitutum esset, Pater noster exsuperantem numerum despiciens, simul in civitatibus, simul in agris & itineribus per quinque testes testamentis vi-gorem attribuit: idque ideo (mea quidem sententia) quod, quanta nunc virtutis inopia humanam vitam occupet, considerarit. Attamen (id, quod dictum est,) non admodum exacta ratione placitum illud nititur. Dicat enim fortasse aliquis, æqualem numerum attribui non oportuisse; atque testimonium, quod in agris & itineribus adhibetur, arctius contrahendum fuisse. Nos igitur, quod ille neglexit, non negligendum putantes, sancimus, ut in civitatibus quinque testibus stabilitum testamentum approbetur: in itineribus vero & agris, aliisque inhabitatis locis, trium testimoniū confirmatio suscipiantur.

## CONSTITUT. XLII.

UT SUFFICIENS NUMERUS TESTIUM TESTAMENTUM RATUM FACIAT, TAMETSI I ID NEQUE ILLORUM SUBSCRIPTIONES, NEQUE SIGNACULA HABEAT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ in verbis residet obscuritas, multum, quod tractatur, in volvere videtur: quippe quæ, tamquam expansa quædam nubes, tum intelligendi vim animo auferat, tum a recta rerum administratione avertat. Hanc igitur obscuritatis caliginem, ubi illis constitutionibus, quæ de testamentis agunt, neque mediocrem normam rebus adferunt, circumfusam esse cognovimus: pulchritudine rati sumus, si illas repurgaremus, quomodoque testamenta confirmari, aut non oporteat, Lege non ambigua, neque quæ varie apprehendi possit, definiremus. Qui ante nos de testamentis tractarunt, bifariam illa divisserunt, & alia quidem scriptis, alia vero sine scriptis confici tradiderunt. Quin & modum, quo utrumque testamentum, (& scriptum nempe, & non scriptum) ratum fiat, subjecerunt: ut scripta confirmatio in eo consistat, quo & vivente etiamnum testatore testium subscriptione ob-signationeque omnibus numeris absolutum sit: nuncupativi vero, sive non scripti, quod septem non indigni fide testes se audivisse, cum ita testator lingua sua de rebus suis pronunciaret, confiteantur. Atque his hinc ad modum constitutis, annexunt scriptum testamentum, nisi 2 ad scripturæ, qua testatoris voluntas significatur, perfectionem simul omnia convenient, & testium subscriptiones, nempe quæ illis de sinceritate testimonio sint, & signacula, quæ subscriptionibus fidem præbeant: nisi hæc simul omnia (inquam) prius quam is, cuius id testamentum est, e vita excedat, concurrent, omnino id irritum esse, ut neque tamquam scriptum, neque tamquam nuncupativum valeat. Ex quo sane præoccupatio placito, quum non admodum caute (ne interim dicam male) conceptum sit, confusio atque ambiguitas rem testamentariam invadit. Aliis enim videtur testamentum velut adulterina femina, prorsus abjectum: ut aliis quidem ex bonis utilitatibus capere permittratur, defunctis vero ne minimum quidem utilitatis ex rebus suis accedat: si tamen defuncti utilitatem aliquam sentiunt. Sentient autem, quum ex ipsorum morte per beneficii erogationem nonnulli reviviscunt. Atque hi quidem (quomodo dixi) hunc in modum a rerum suarum utilitate hominem prorsus arcere volunt. Quibus vero benignior sententia animo residet, hi testamento, quod sigillorum impressione perfectionem non accepit, si non ut scriptum censeatur, certe tamen, qualem non scriptum & nuncupativum accepit, talis vigorem tribuunt. Nos itaque perplexitatem hanc adeo rebus humanis esse documento videntes, in benigniorum judicium sententiam pedibus imus, veterisque Legis caliginem & ambiguatem in simplicem arque apertam cognitionem convertimus, ac sancimus, ut, quod testamentum, respectu eorum, quæ scripto testa-

(3. l. ult. C. de testamentis.

CONST. XLIII. (1. Abrogatur §. 3. Inst. de testam. ord. { 2. d. §. 3. l. 2. 3. pr. C. de testam.

mento adesse debent, imperfectum est: si tamen nuncupativi testamenti testimonio non indigeat, vigore nuncupativi testamenti firmum sit: si testium fide indigeat, ut, quod nihil ad faciendam fidem idoneum habeat, in iritum concidat. Quæ enim ratio est: immo quomodo non omnino absurdum, nimisque crassum est, alias testes istiusmodi approbatione dignari, ut, quæ nulla sui parte scripto mandata sunt, confirmant? alias vero quasi, qui per scripturam declarata confirmant, indigni sint, ita illos vilipendere, præsertim vero, cum hic aliquo etiam modo fides corroboretur. Quomodo insuper id detestandam inverecundamque æquitatis productionem non continet? Quid si testamentum scripto tradi cœperit, quodque constitutum est, dignorum fide testium auribus insonuerit, deinde vero aut scribam morbus corripuerit, aut mors etiam ipsum sustulerit, & mox testator quoque enectus sit: (ut multa hominibus ex improviso contingunt) num propterea, quos is moriens beneficio dignos censuit, illi eo privati injuriam sustinebunt? Et vero, quod indignissimum est, non modo non cum vita id malum testatorem deserit, verum etiam mortuum insectatur, privatque quantum quidem ad eorum, qui testamentum irritum faciunt, sententiam attinet) misericordis Dei commiseratione, cuius participem illum fore, ex eo, quod ipso defuncto alii beneficiis subleventur, spes est. Idcirco simulatque nostra potestas hæc animadvertisit, evidentem atque indubitatam formam sancit, ut, si testes riantur dicant illius hominis proprium id esse testamentum, id non improbetur, sed firmum atque ratum sit: tametsi non solum signacula, sed etiam cum illis testium subscriptiones dantur.

## CONSTIT. XLIII.

## UT PER SCRIBENDI IGNAROS I TESTAMENTA ETIAM CONFIRMENTUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**N**on, quod superiores, quia communis vitæ negotiis diligentem cautionem attulerunt, reprehendere velimus, Legem proferimus: sed potius, ut exacta ipsorum ratio in usum recipiat, operam damus, resque ipsæ (quod illas exacto ipsorum præscripto respondere impossibile sit) ne, quoad ejus fieri potest, debito suo statu excidant, sanctione cavemus. At, quid est, quod dico? Decretum est a veteribus de testamentis tractantibus, ut per 2 septem testes, minimum autem per quinque defunctorum statutis auctoritas accedit. Neque vero id simpliciter, sed ne 3 ignari literarum testes essent, si quidem in civitatibus, ubi non fere peritorum penuria est, testamenta facta sint: sed si aliis in locis, in quibus literarum studia disciplinæque non admodum uitratæ sunt, illuc testium non exakte haberetur ratio: neque illi soli, qui ad literarum studium educati sunt, quærerentur, sed ad testandum & literarum rudibus aditus esset. Quod itaque illis in locis, in quibus hominum scribendi peritorum abundantia non est, Lex fieri statuit: id consuetudo omnibus ubique locis & civitatibus, quamquam magna doctorum hominum copia esset, ita facere volentibus concessit. Quod sane & Imperatoriæ nostræ Majestati Legum auctoritate dignandum esse placuit. Sancimus igitur, ut quocumque in loco & civitate, etiam ab imperitis testamenta confirmentur, dummodo mores testium fidem mereantur. Quin & numerum non solum ad quinque contrahimus, sed iis in locis, in quibus raros fide dignos prodire constat, tres 5 quoque admitti, ac testimoniū illorum non reprobari volumus.

## CONSTIT. XLIV.

## \* A QUIBUS I OBSIGNARI TESTAMENTA OPORETEAT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**C**um omnes alii hominum actus ac negotia, quæ in literas referuntur, necessario exquisitum testimonii subsidium requirant: tam maxime id faciunt, quæ homines natura sua ad interitum verente, discessuque e carne imminentे literis exponunt, his in ipso e vita excessu rationes suas & voluntatem committentes. Quæ enim inter vivos conscripta sunt, quamquam obsignata sint, nihil minus tamen illorum vitia ex verborum ejus, qui scriptis, eorumque, de quibus scriptum confectum est, examinatione deprehenduntur. Quæ vero a morientibus scripto constituuntur, ea se minus recte habere, si nullum certum testium suffragium adsit, im-

CONST. XLIII. (1. v.l.ult. vers. si vero. C.de testam. (2. §.2 Inst. de testam. ord. (3. d.vers. si vero; (4. Abrogatur d.vers. si vero. (5. Nov. 41 supr.

CONST. XLIV. (1. v.l.23.C.de testam.

possibile discere est. Verum enim vero & hic tractatus longe optime a Legislatore conscriptus est, dum saxe testamentorum testes ad jusjurandum adigi nolens, illis census & Magistri, qui nunc generalis appellatur, sigillo parari firmitatem jubet. Etenim quod tamquam levem promtumque ad jurandum aditum non præbet, insignique sigillo ambiguis testamentis vigorem tribuendo, ut juramenta reprimenterent, fecit; ea sane res & prudentissimi consilii, & præstantissima est. Atque hoc quidem obtinuit olim. Postmodum autem consuetudo id mutavit, ut supra testes, ejus qui ad Quæstoris dignitatem pervenisset, sigillum testamento testimonium ferret. Et quidem illa etiam confirmatio majoribus nostris optima visa est. Quos & nos sequentes, quo illa validior sit, jubemus, ut *sigillo Magistri census*, (quod nunc ad illum neque Legum cura, neque administratio pertineat) nihil pro�us in obsignatione testatorum juris, ne commercii sit (quemadmodum neque nunc id illa obsignat) sed pro 3 illo Quæstoris sigillum obsignet. Neque vero hoc solum testamenta obsignet: verum etiam magnificissimi nostri Magistri & Patricii, Præfeti Urbis etiam, aliique, qui judiciis præsunt, sigillis suis illa fidei commendent. \* Verum hi in urbe: in aliis autem locis & civitatibus Præfeti, & in quaque Provincia Præfides hoc sciunto & faciunto.

## CONSTIT. XLV.

## \* UT I SENTENTIAM JUDICES IN LITERAS REFERANT, SUAQUE MANU OBSIGNENT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**D**um ut res judicatæ firmæ maneant, & ne qua suspicio atque controversia sententias insequatur, curam gerimus, hoc se nobis constituendum obrulit, ut quibuscumque dijudicare ac dirimere lites obtigisset, de quibus rebus judicium pronunciatur essent, de iis sententiam de scripto ferrent, eamque manibus suis obsignarent: ut ne, si temere judicatum esse postmodum deprehendatur, negare illi suam sententiam possint: neque alii cuiquam sapientia adulterinaque sententia scriptura efficiat, illam in judicem aliquem referre liceat. Quicumque igitur judicum dignitate honoratus est, deihinc ita facito: ac, quibus de rebus judicavit, decretum scriptum, suaque manu obsignatum edito.

## CONST. XLVI.

## \* ABROGATIO QUARUMDAM DE CURIIS ET DECURIONIBUS I LATARUM LEGUM.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uemadmodum, ut quæcumque aliae res in communis vitæ usum assumantur, ipsarum commoditas facit, &c, quæ utilitatena aliquam adferunt, magnificimus: quæ vero ad nihil conducunt, contemnimus: sic omnino & ad legalium capitum compositionem nos accommodari oportebit, ut quarum usus aliquis sit, qui bono quopiam Rempublicam beat, hæc necessario & ferantur & honorentur: quarum vero usuratio aut nullius momenti, aut mala sit, harum non modo non ratio habeatur, sed etiam e Legum corpore exemptæ rejiciantur. Hæc idcirco dicimus, quod inter veteres de Decurionibus quæpiam munera injunxerint: Curiis autem privilegium, ut quosdam Magistratus constituerent, fuaque auctoritate civitates gubernarent, prabuerint. Quæ nunc, eo quod res civiles in alium statum transformate sint, omniaque ab una Imperatoriæ Majestatis sollicitudine atque administratione pendeant, tamquam incassum circa legale solum obserrent, nostro decreto illinc submoventur.

## CONSTIT. XLVII.

## \* ABROGATIO LEGIS I, QUÆ SENATUI PRÆTORES, DECURIONIBUS VERO PRÆFECTOS CONSTITUERE CONCEDEBAT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uod alias olim Reipublicæ status esset, rerum ordo similiter alijs erat. Quum enim cuncta in Principis deliberationem non caderent, sed nonnulla essent, de quibus despicer & jubete Senatus officium esset, ea ab illo etiam proferebantur. Prætores itaque tres 2 numero in Urbe rebus administrandis ab eo præfiebantur, isque actus sanctione Legis procedebat. Neque vero id in

(2. Nov. 44.c.1.§.4.l.17.§.2. C.de sacros.eccles.d. l.23.C.de testam.

(3. Abrogatur d.l.23.

CONST. XLV. (1. tit.C.de sententiis ex periculo recitand.

CONST. XLVI. (1.Lib.50.D.2.Lib.10.C.31.Nov.38.

CONST. XLVII. (1. Abrogatur l.2.C.de offic.prætor. (2. d.l.2.

urbe solum, sed in aliis etiam civitatibus a Decurionibus, ut vocabantur, Præfecti quidam (non tamen quales hodie militaris Præfectura novit, sed ex e lentiores quidam, quique aliam curam demandatam haberent) præficiabantur. Quum igitur aliter fere tunc res haberent, communis usus illam Legem requirebat. Nunc autem, quum omnia a Principali cura pendeant, Deoque opitulante ipius Providentia discutiantur & dijudicentur: ac vero illa Lex nullum de se usum præbeat, cum aliis, quæ de Republica ejesta sunt, hanc etiam ejiciendam esse statuimus. Quemadmodum enim Legibus nondum enatis nascendi causam rerum usus præstat: sic quando Lex rerum utilitati non subservit, eam abolendam esse sequitur.

## CONSTIT. XLVIII.

## \* NE MULIERES IN CONTRACTIBUS TESTIMONIUM PRÆBEANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Haud scio quomodo, re non exactiore judicio disquisita, mulieribus ad dicendum testimonium procedendi facultatem dederint veteres. I Illud saltem vulgo notum, volutandum animo fuerat, crebrum nempe in virorum oculos occursu mulieri de honestamento esse: pudicam vero & honestam ejusdem rei fugam efficere. Qua ratione igitur illas ad testimonium assimi permiserint, (unde fit persæpe, ut in magnis hominum turbis coaversentur, irreverentiusque, quam mulierum sermo ferat, lingua utantur) hoc quemadmodum dixi, mihi dubitare subiit. Quorsum enim hisce visum est, ut in negotia publica mulierum prodiret testimonium, quibus juxta atque viris testari permiserunt, quemadmodum Scythicas mulieres cum maritis ad bella coarmati audimus? Et sane, quomodo præter absurditatem ingentem, hoc naturæ etiam finium, quibus virilis muliebrisque sexus disternuntur, tum confusione, tum eversionem non continet? Quomodo item mulieribus (quas etiam domi observanter, nequaquam autem disso'ute atque indulgenter, conveniri oportet) debitam non produnt & verecundiam & honestatem? si quidem ad ferendum testimonium progressio, quum (eo quod multorum illarum hominum commiscentur convenientibus, negotiisque implicantur civilibus) ad liberius loquendum, quam mulieribus decorum sit, fenestrari aperiat: muliebris sexus submissos morem pudoremque admittit, atque ipsas ad invetercundiam & procacitatem exercet. Jam vero res illa contumeliam aliquo modo etiam viris adferit. Quod enim hoc aliud nisi contumelia, & ea quidem gravissima erit, si quarum retum tractatio virorum maxime propria est, ad illas sexus etiam femineus procederet? Quapropter non minus consuetudinem, quam Legis erratum Majestas nostra corrigens, illis ad testandum præcludit aditum, ac proposita sententia sua decernit, Legeque prohibet, ne quo modo mulieres ad contractuum testimonia accedant. In rebus autem peculiariter ad ipsas pertinentibus, quibus interesse viris fas non est (de parta & lequo, & si cul rei alii sola mulier adhibetur) sua peculiaria virisque occulta testantur.

## CONSTIT. XLIX.

## \* NE SERVI AD DICENDUM TESTIMONIUM ADMITTANTUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Testimonium cum magni momenti, necessariaque ad tuenda communis vita negotia res sit, non a quibuslibet, sed ab iis qui extra ignominiam vivant, ferri aequaliter est. Recte ergo exquisita ratione de hoc disceptant Leges, & non simpliciter ad dicendum testimonium cuique aditum præbent. Verumtamen, quia nonnullæ Leges servilis conditionis hominibus in quibusdam & rebus testari concesserunt: visum nobis est, hoc nota inducendum esse, ut, qui liberæ vita participes non sunt, in universum ad testandum non admittantur, Lexque Novellarum & Constitutionum obtineat, & de quocumque simpliciter testimonio statuat, idque in quantum re, sive testamento, sive aliam humanæ vitæ actionem testimonium complectatur. Si enim illis, qui cum liberæ vita sint, vitam ingenue, eaque libertate, quam nacti sunt, digne non degunt, neque, quantum fieri potest, animi magnitudinem a servitate liberam conservant; sed in illicitarum actionum servitutem subiguntur, testimonium dicere non licet: neque his, quorum

CONST. XLVIII. (1.18. ff. de testib. l.20. §.6. ff. qui testam. fac poss. (2.v. tit. ff. de inspicio ventre.

CONST. XLIX. (1. Nov. Just. 90.c.6. abrogatur l.7. ff. de testib. (2. d.l.7. (3.d. Nov. 90.c.6.

vitam non esse liberam constat, ferre testimonium concedetur. Nam tametsi alius hic servitutis modus sit, attamen ea servita est, quam libertatis dignitate participem esse indignum sit.

## CONSTIT. L.

## UT I DONATIONES, QUÆ IN LITERAS RELATÆ NON SUNT, AD QUINGENTOS USQUE AUREOS

VALEANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quandoquidem multi alias gratias relaturi, alias benigno dumtaxat proposito moti, dona in nonnullos conferunt: & de hoc capite distincte tradendum esse visum est, quales donationes non everti, qualesque contra irritas esse oportet. Atque veteres & quidem hac de re tractantes pronunciarunt, illam donationem concidere, ne firma sit, quæ quingentorum aureorum summam exsuperat, nisi in acta publica relata sit: quamquam etiam donarius donationis certam probationem propria donatoris manu privativam scriptam abstulerit. At nescio, quid sibi illi superflua hac subtilitate velint. Quando enim donatio scripto comprehensa, ei que justum testimonium adhibitum esset, quorsum amplius accurate finire oportebat? Nobis itaque exacta hac definitione, quam neque de donationibus dictam esse omnino scimus, per sanctionem consopita, illud proponere visum est, ut, si donatio, quæ quingentos aureos excedit, in literas relata sit, rata permaneat: quæ vero scripto comprehensa non est: pro eo modo, qui quingentos aureos excedit, irrita sit: tametsi donarius presentibus testibus rem donatam adeptus sit. Etenim donatio, cujus estimatio quingentos aureos non superat, et si conscripta non sit, dammodo tribus testibus confirmetur, rata judicatur. Ad hanc ergo formam examinatae donationes aut valeant, aut irritæ sint.

## CONSTIT. LI.

## \* DE INVENTO THESAURO, CUIUS ESSE DEBEAT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Bonum sane atque salutare esset, si divinis salutiferisque morena gereremus Legibus. Minime enim tum humanis indigeremus, illarumque luce tutam viam commonstrante, humano ex legibus auxilio nobis non esset opus. Verum quoniam coeno atque luto omnes emergere, divinisque præceptis in cœlum tollentibus elevari difficile est: humano generi salutem etiam humana prudentia per Leges suas adinvenit. Quapropter etiam nunc, quum, quamquam Dominus & Servator noster misericordes esse, eorumque, qui inopia peremuntur, illos, qui ipsius donis fruentes in affluenti rerum copia vivunt, angustiis succurrere jussit: nonnulli tamen ita in Dominum ingrati, ergaque communem hominum cognitionem commiserationis expertes sunt, ut non modo non benignam manum egentibus præbeant, verum etiam tamquam Solis quoque radiis terribes thesauros suos aspicere invident, in terram illos defodiunt: de inhumano hoc invento in medium Legem prodire oportuit. Quæ quidem Lex, cum olim lata fuerit, victa autem postmodum a cupiditate, quæ multas egregias res labefactat, ab eademque suo vigore privata sit; nunc ab Imperatoria nostra Majestate in integrum restituitur. Jubebat autem illa & ut qui in defossum thesauro incidisset, si prædiuum, in quo inventus esset, ad Principe pertineret, alioquin publicum esset, illum ex a quo cum fisco partiretur: si vero locus, unde thesaurus in lucem prodisset, neque ad Principe pertineret, neque publicus, sed alterius cuiuspiam esset, is aequalibus partibus inter inventorem prædiique dominam divideretur: denique, si inventoris prædiuum esset, ipsi res inventa universa cederet. Atque hæc quidem Lex illa sancit. Verum perverse cupiditas, haud scio, quomodo illa circumscripta, iniquoque lucro fisco donato, illi in hunc usque diem inventum thesauro attribuit, Legemque otiosam reddidit. At, quid hinc contingit? Qui alicubi reconditos latete thesauros sciunt, dum alios laboribus suis gavisuros, se autem frustra illos subituros, quin & interdum acerbis examinationibus subjiciendos considerant, illos investigare negligunt: itaque in perpetuum recondita manent & pereunt, quæ in lucem producta magnam hominibus erant utilitatem allatura. Jubemus ergo, ut deinceps secundum veteris Legis aequitatem judicetur: & quando thesauros

CONST. L. (1.1.36. in fin. C. §.2. Inst. de donation. (2.1.25. l.34. C.d.t.

CONST. LI. (1. §.39. Inst. de ref. divis. l.31. §.1. ff. de adquir. rer. dom. l.3. §.10. ff. de jure fisci. l.unic. C. de thesauris. (2. d.l.3. §.10. ff. da jure fisci. d. §.39. Inst. ac rer. divis.

aliquis inventus fuerit, si locus, ubi inventus est, in publicis Imperatoriis fundis sit, inventor illum cum fisco partitur: si vero alterius cujuspiam sit, simili modo ipsum & inventor, & loci, in quo thesaurus inventus est, dominus, inter se dividant. Ceterum si improbus esse, neque quidquid repererit, confiteri inventor omne velit, sed dolo mendaciisque ex re reperta nonnulla detinet: in vanum tunc ille laborarit, & tamquam malitiosus rerumque alienatum occultator & fur, nihil omnino accipiat, ac beneficium loci domini soli cedat.

## CONSTIT. LII.

\* UT TAM VETERUM I PRINCIPUM, QUAM RECENTIORUM NUMISMATA, MODO JUSTI PONDERIS, PROBÆQUE MATERIAE SINT, VALEANT. 2

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Si pecuniarum nervi sufficiens & copiosa illarum materia est, remque publicam pecuniarum vis stabilit, recte profecto veteres defectum, velut morbum quemdam ac tabem, inde profugarunt, dum omne genus numismatis, et si ad veteres & priscos Principes referretur, similiter valere voluerunt. 3. Vetum egrum hoc institutum, haud scio, qua de causa posteriores Principes in eadem forma consistere non permiserint, ac tamquam subditorum opulentia invidenter, quæ numismata superiorum Principum effigiem ferrent, iis publico usu interdixerint: sua vero sola in communis commercio esse voluerint. Ne illi, quantum hinc in communibus negotiis novitatis, quantum item detrimenti, quod cum ad omnes, tum præcipue ad pauperiores, potiusque auxilio & defensione indigentes pertineat, existeret, intelligere noluerunt. Certe mercatorum vulgus, quique alioqui maxibus victum queritant, & demum universa ruficorum natio, dum antiquata ea, qua hactenus usi sunt, pecunia, alio modo res necessarias sibi patare non possunt: in perquam angustas adiungunt angustias. Eapropter nos novo recentiorum placito non acquiescentes, veteranum autem providentiam sequentes, sancimus, ut secundum benignum illorum Reique publica commodissimum judicium, numismatis omne genus ( quod quidem formam materiamque non adulteram 4 & plenum pondus habeat ) sive vetustioris cujuspiam Principis, sive recentioris sit, æqualiter & æstimetur, & in Re publica tractetur. Poena vero eorum, qui rebelli animo decretum hoc contemnent, fuerit, ut flagris cædantur, & cute tenuis tun-deantur, insuperque libras auri tres dependant.

## CONSTIT. LIII.

\* UT CUIQUE TAM INTRA CIVITATES, QUAM EXTRA, MORTUOS SEPELIRE LICEAT. 1

*Idem Imp. eidem Styliano.*

Mea quidem sententia, Leges civiles non ea modo, quæ communi subditorum vita prosint, præscribere: verum de iis etiam, qui jam vitam finierunt, humanæ commiserationi convenientia decernere decet. Quæ autem defunctorum corpora ignominia contumeliasque exponant, ac per quæ communi hominum natura dedecus atque turpitudo concilietur, nequaquam in Leges sunt includenda. At, quod Lex 2 mortuos non nisi extra civitates humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficer non est? Et quidem si hoc præcipiens, de iis humanis ageret, quibus facilem elationem facultates, quas vivi habuerant, suppeditarent, fortasse lex aliquam ad id jubendum rationem habuisset. Quamquam tunc etiam ad amicorum, cognatorum, necessariorum que defuncti commiserationem respicere oportebat. Quorum dolori atque orbitati magnum sane solatium est, si amici sui sepulcrum amplexari, ac in id lacrymas profundere possint. Quæ officia extra civitatem sepulto non facile est exsequi. Attamen si illos solum extra civitatem sepeliri vellet, quibus id ipso mortis die per facultates facile esset, ad eam inclemantium aliquam Lex occasionem haberet. Verum nunc, cum inclemencia illa simul ad omnes se extendat, quomodo non manifesta est absurditas? Quomodo Legem in natura opprobrium ferri non est evidens? Qui enim, dam adhuc viverent, inopes & deserti erant, quomodo mortui ipso mortis die humabuntur? Quomodo item, cum propter paupertatem sepultura non accelerabitur, multis diebus insepulti, non

CONST. LII. ( 1.l.1.C de veteris numism. potest. ( 2. Vide tamen Nov. Nicophori Phocæ c.1.infr. ( 3.d.l.1. ( 4. Adde Edic. Just. II. 6.3.

CONST. LIII. ( 1. Abrogatur l.3. §. 5. ff. de sepuler. violat. l. 12. C. de religios. ( 2.d.l.3. §. 5.d.l.12.

miserabile simul & horrendum spectaculum jacebunt, tabescen-temque hominum naturam dedecorabunt? Extra hæc autem, cum mortui interdum famuli Dei appellantur, propterque coelestem gloriam colantur, ipsorum corpora inhumata abjici, quomodo id vero expiationi etiam obnoxium non est? Ne igitur ullo modo inter civiles Leges hæc Lex recenseatur, sancimus: quin potius, ut a consuetudine recte contemnitur, sic etiam decreto nostro prorsus reprobatur. Quicumque autem sive extra muros, sive intra civitatem sepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeto.

## CONSTIT. LIV.

\* UT DOMINICIS DIEBUS OMNES 1

AB OPERIBUS VACENT. 2

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Præstantissimum illorum est studium, qui se edendis, quæ com-muni vita utilia sint, præceptis dedunt; dignique sunt, eo quod ad subditorum utilitatem omnes suas curas intendunt, quorum prius in Rempublicam amor laudibus celebretur, ac præcepta sancte observentur. Interim vero multo æquius fuerit, illis potius istiusmodi reverentiam attribuere, quos majores pro humani generis salute, tamquam universi terrarum orbis Legislatores, suscepisse sollicitudines constat, quasque Leges tulerint, has aliis omnibus anteferre, idque non solum propter id, quod dixi, quod videlicet ad hominum utilitatem, incomparabiliter suscepserint atque contulerint curam: sed quod etiam divini Numinis virtute scripsierint sua decreta. Quoniam itaque illorum inter discipulos procerum Legi, quæ Dominicæ resurrectionis diem cessatione ab operibus omnes venerari mandat, Legem aliam contradicere conspicitur, quæ non omnes simul operari prohibendos, nonnullisque uti operentur, indulgendum esse censet: ( ait 3 enim: Omnes ju-dices urbanæque plebes & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quiescant: Ruri tamen positi agrorum culturae libere licenterque inserviant: cujus istius diei de honestationis nulla ratione nititur causa. Nam, quamquam fructuum conservatio prætendi posse videatur: nullius tamen illa momenti, reque vera futilis est: quum non agriculturæ diligentia, sed solis virtus, quando frugum largitori visum sit, fructuum abundantiam suppeditet: ) quoniam, inquam, istiusmodi Lex in lucem prodiit, quæ Domini cultum vilipendat, diversumque ab illis, qui contra omnes adversarios a Spiritu sancto vitoriam obtinuerunt, decretum præscribat: statuimus nos etiam quod Spiritui sancto, ab ipsoque institutis Apostolis placuit, ut omnes in die sacro, quoque nostra integritas instaurata est, a labore vacent: neque agricultoræ, neque quicquam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbra quædam atque figuram observabant, tantopere Sabbati diem ve-nerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent: quomodo, qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos eum diem, qui a Domino honore ditatus est, nosque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par est? aut quomodo, cum ex septem diebus unus in Domini honorem consecratus sit, nos aliorum ad opera usu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inviolatum conservare: sed ipsum etiam vulgarem facere: nostrisque operibus applicandum putare, religionis non est prorsus dis-soluta?

## CONSTIT. LV.

\* UT JUDÆI SECUNDUM CHRISTIANISMUS

RITUS VIVANT. 1

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Qui olim sceptris potiti sunt, de Hæbreorum gente ( quæ quoniam, quoad divino patrocinio foveretur, inclita fuit, nunc autem ob contumaciam in Christum & Deum nostrum in calamitatibus celebris est ) diversas 2 promulgarunt Leges, quæ de ipso-rum vita statu tractantes, jubent, ut 3 sacras ipsi Scripturas legant, & ne a suis ritibus arceantur: quin etiam, ut liberos supra sanguinis cognationem circumcisionis etiam cognatione suo instituto accomodent. Atque hæc quidem, qui olim ( ut dixi ) Imperium obtinuerunt. Verum sacratissimus Princeps, ille, ex cuius semine nos nati sumus, ut qui majore, quam ceteri, salutis ipsorum desiderio teneretur, hos in sola superiorum Legem obser-

CONST. LIV. ( 1. Abrogatur l.3.C.de feriis. ( 2. v. Lult. §. 1. C. d. t. ( 3. d. l. 3.

CONST. LV. ( 1. Abrogatur Nov. Just. 146. & tit. C. de Judæis ( 2. d. tit. C. d. Nov. 146. ( 3. d. Nov. 146.

vatione relinquere: ( quod ante illum alii fecerant ) non contemtis: sed partim sacrorum oraculorum explicatione, partim eorumdem admonitionibus ad salutarem Christianorum cultum traducens, vivifica Baptismi aqua initiavit. Atque quod ipsos in novum secundum Christum hominem transformari debere persuasit, ut veterem deponerent, plene effecit, & quæcumque vetustatem saperent, circumcisionem 4, Sabbathum 5, & si quid aliud est, cum illo simul exuit. Atqui cum tanto cum effectu a Judaica pertinacia ipsos deduxisset, non etiam prioribus Legibus, quæ Judaico ritu vive-  
re pérmittebant, silentium & vacationem alterius Legis decreto imposuit. Quod igitur Pater noster prætermisit, id nos adimplendum putantes, omni antiquiori, quæ de Hæbreis statuit, Legi sil-  
lentium injungimus, & ne illi aliter, quam pura salutarisque Christianorum fides vult, vivere audeant, jubemus. Quod si quis a Christianorum ritibus defectione facta, ad Judæorum mores, & placita reverti deprehendatur: hic secundum Leges de apostatis 6 latas poenas luat.

## C O N S T I T. LVI.

## DE ORIS MARITIMIS. 1

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Hæc etiam Lex, quæ maritimorum prædiorum jus tollit, eorum unde apud oras mare conspicitur: quæque insuper illorum dominium, si illuc pescari volentes prohibeat, injuriarum actioni subicit: nobis non æqua statuere visa est. Quicquid enim non iniquo titulo, in cuiuspram dominium devenit sive parentum hereditas, laborumque emolumenit, sive alio quocumque non illegitimo modo paratum sit: quæ causa est, quamobrem id non ab eo, qui in dominio habet, administretur, & illi non longe potius, quam alteri cuipiam utilitatem præbeat? Non est igitur Legis, quæ quidem æquitatem spectet, ut alios ad utilitatem rei, in quam nihil juris habent, introducat: illos vero, qui aut solutum pretium, aut cognitionis jus, aut denique alium aliquem possidendi rei non illegitimum titulum laudant, illa privet. Jam vero quod, quum ab illo, tamquam loci illius domino, annum tributum exigitur, expellere inde illum, qui præter ipsius voluntatem loci commodis uti velit, non possit: sed si hoc faciat, injuriarum actionibus tentetur: quomodo id, praterquam quod iniquum est, non omnibus modis absurdum est etiam? Quid si prædicti dominus pescatoriæ artis non ignarus sit, num ipsi otioso dormiendum erit, aliisque orarum emolumenta venari permittere debebit? aut, si otium non amplectetur, in aliorum oris errabundus pescabitur, in suis autem id ipsi non licebit? At, quare ita fieri debeat, nullam equidem rationem video. Sancimus itaque, ut quisque oras suas inconcuso jure possideat, illoruinque dominus sit: &, si qui sine ipsius permisso illorum emolumento frui velint, hos propellere possit. Nam, quemadmodum terrenis locis juris est, ut quicumque dominus dominus sit, is præter illius usum, vestibulum 2, quoque atque atrium possideat: ut ita etiam in maritimis obtineat, rationi esse consentaneum putamus. Et sicut terrenis locis præter voluntatem domini ex alieno fructus percipere nemini conceditur: sed, si quis fructus ex alieno colligit, eos vel benignitate domini percipiat, vel pro loci 3 usu vestigal solvat, necesse est: sic etiam in maritimis observari præcipimus.

## C O N S T I T. LVII.

## \* QUANTUM IN PISCATIBUS REMORÆ I PISCATORIÆ INTER SE DISTARE DEBEANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quandoquidem, quum plurimæ leges de pescatione statuant, illud quod ἐποχὴ nominandum putarunt, adhuc Lege definitum non est, ( quippe quod, ut videtur, quo tempore Leges illæ promulgabantur, nondum id institutum innotuisset ) hoc quoque Legis constitutione auferre volumus. Quam itaque juris rationem in hoc pescationis instituto pro legitimo decreto obtinere consuetudini visum est, ( ut nempe interstitiorum modus ad trecentos sexaginta quinque passus protendatur ) hoc nos, quod extra convenientem modum non feratur Legis dignitate honorantes, dehinc Legem esse sancimus. Nam tametsi citra hoc privilegium,

( 4.v. Nov. Just. 37. ( 5.l.2.l.13.C. de Judæis. ( 6. v. tit. C. de apostatis.

CONST. LVI. ( Abrogatur l.13.in fin. ff. de injuriis adde l.14. d.t. ( 2.d.l.13.in fin. ( 3.l.15.in fin. ff. qui potiores.

CONST. LVII. ( 1. Adde Nov. 102., 103., 104. in fin.

ut remoræ pescatoriæ ad hanc rationem disponantur, præsentis avi hominibus bonum videatur: quo tamen id firmius sit, cautiusque in æternum observetur, Lex esto, remoræ illæ trecentorum sexaginta quinque passuum intervallo a consuetudine approbato, inter se distante: idque ita, ut ab utraque parte hic intervalli modus desumatur: ut videlicet centum octoginta duo, & semis, ab unius partis finibus ex porrigitur, residuum vero ad vicinum usque pertingat. Atque hæc quidem de constituendis introducendisque post hanc Legem remoratoriis dicimus. Quæ vero hoc decretum prævenerunt, tametsi præstito hoc intervallo non distent, ex ejus præscripto tamen nihil novabitur: permanebuntque illa, ut initio constituta sunt.

## C O N S T I T. LVIII.

## \* NE EX SANGUINE CIBUS CONFICIATUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Simul olim Legislatori Moysi sanguine vescendum non esse mandavit Deus, simul ab istiusmodi cibo abstineri debere a Præconiis gratia 1 est constitutum. Et quemquam tum veteris, tum nova Gratiae tempore illa res vilis habita sit, & nefaria: eo tamen contumacia, imo recordia homines processere, ut neutri Legi au-rem præstent morigeram. At contra, alii lucri, alii gulæ causa, summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamque, qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra Majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantum hominum invento, nunc præcepta divina, nunc Reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens jubet, ne quis id scelus, neque ad usum suum, neque ut emtores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. Asciat quicumque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum convertere ( sive vendat, sive emat ) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde tonsus erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in judicio, neque civitatum Magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi ( neque enim, si illi convenienti alacritate Magistratum gessissent, id scelus commissum esset ) quod negligenter socorditerque subditis præfuerint, decem librarum autem multam sustineant.

## C O N S T I T. LIX.

## \* ABROGATIO LEGIS 1, QUÆ HOMINEM LIBERUM

*SE VENDERE PERMITTIT.**Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ Lex hominem liberum, qui tam ignavi atque abjecti animi est, ut libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabilis pro servitute persolvendi pretii lucrum participet, suam servitutem mercetur, non castigat, neque scelus illud corrigit profecto & illa earum una est, quæ rectum Reipublicæ nostræ statum dedecent, ac approbatione indignæ sunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. Illam itaque de eo, qui res suas ita gubernat, latam legem, quæ dementiam firman esse permittit, neque eversa indigna illa mercatura, hos, qui per insipientiam talia faciunt, competentibus poenis subjicit, neque legis proposatum scimus servare, neque, quæ convenienti Legibus reverentia potiatur, dignam putamus. Si enim, quod pater filii est, id idem 2 Leges civibus esse oportet, ut in hoc unum, quod illis conducat ac salutare sit, collimet: quomodo hanc Legem, quæ tantum incommodum atque damaum incumbere iis, qui per dementiam in id se conjecterunt, finit, Legibus anumerari æquum est? Hanc itaque nos Legibus excerptam in exilium mittentes, sancimus: ut si quis ita demens sit, ut libertatem servitute commutans se ipsum vendat, ne is contractus validus sit, sed revertatur, & simul ipse libertatis suæ proditor, simul is, qui cum ipso id facinus designavit, verberibus castigetur, nihiloque minus vesania mancipio libertas in pristino suo statu servetur.

## CONST. LVIII. ( 2 Canon. Apost. 62.

CONST. LIX. ( 1 Abrogatur l.5. §.1. ff. de statu hom. l.6. §.5. ff. de injus. rupt. irrito facio testam. l.14. ff. de pænis. §.4. Inst. de jure personar. ( 2. Adde l.2. ff. de legib.

## C O N S T I T . L X .

\* QUA PœNA I CASTRATORES 2  
AFFICI DEBEANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Virtutis ad procreandum a Deo natura inditæ exsestio non minore cum audacia identidem committitur, quam si apud Deum nulli poenæ obnoxia esset, cum tamen vel maxime sit: & quam quam veteribus legislatoribus curæ fuerit, ut id malum ultrice Lege excideretur, quo Respubl. ca ab istiusmodi invento munda esset: haud scio tamen, quam si cui alii, huic certe præscripto obtemperari, atque a naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quam obrem non ita faciant homines: sed tamquam utilitatem quædam, istiusmodi adversus generandi vim infidias reputantes, membra, quæ homini nascendi causam suppeditant, lacent, & creaturam aliam, quam qualis conditoris sapientia placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur cum insultum relinquendum non putemus, Lege in id pœnam constituentes, quibus adeo divinam creaturam deformare religio non est, eorum audaciam auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac superiorum quidem Legislatorum decretum 3 eos, qui id auderent, ad eamdem mutilationem, quam aliis intulerint, adgit, quodque ipsi in aliis videre desiderarint, id ut itidem in se videant, conficit: idque me judice, non ita præter æquitatem: quamquam non valde decore. Non enim, quia ille creaturam Dei quasi refingere ausus est, continuo vindicem id imitari, & pariter 4 refingere æquum est. Verumtamen, quantum ad inventum attinet, non valde ( quemadmodum dixi ) id alienum est. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona namque publicabat, perpetuoque ipsos exilio adjudicabat: & qui injuriam sustinuisse, si servus esset, libertate honorabat. 5. Atque Superiorum quidem decretum istiusmodi erat. Nos vero de re illa sententiam pronunciantes, naturæ insidiatores simili mutilatione vicissim mutilari prohibemus: aliis autem isti criminis constitutis pœnis, ( tametsi hic etiam ad clementiorem sententiam respiciamus ) subjacere ipsos non displicet. Sancimus itaque, ut qui detestandæ hujus artis artificem ad castrandum advocarit, si in albo Imperatori famulatus sit, primum albo eximatur; ac deinde decem auri libris in fiscum deferendis multatus, in decennium re-legetur. Malæ vero istius artis artifex, & ipse primum flagris cu-teque tenus tonsione deformetur, & deinde bonis privatus, eodem temporis spatio patria exulet: qui autem injuriam sustinuit, si servilis conditionis sit, reliquo vita sua curriculo ab illa liber erit: si libera tamquam ipse, quod injuriam admisit, ejus sibi auctor sit, quod passus est, suo consensu acceptum feret. 6 Ceterum, si qui exectionem sustinuit, ea illi, (ut sèpe fit,) remedium atulerit, nihil neque nobis: neque Legi adversari videtur. Id enim naturam non mutilare, sed illi succurrere est.

## C O N S T I T . L X I .

\* TRIBUTORUM EXACTORES, SI PLUS QUAM DEBEANT,  
EXEGERINT, QUA PœNA I AFFICIENDI SINT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Si rectam æquitatis semitam mortales ingredi vellent, sane quam magna hinc communis vita tum beatitudo, tum salus accederet. Non enim austeritatem præ se ferre Legislatoribus opus esset, neque ultrices Leges in periculorum difficultates aliquos conjicerent. Nunc vero quamquam & commoda, & salutaris æquitatis via sit, si plerique tamen illam ingredi nolunt: sed tamquam laboriosa atque aspera sit, miseriaisque viatoribus adferat, declinant. Sunt enim, sunt inquam, quibus pessima quæque placent: qui que ab æquitatis itinere deflectentes, ad iniuritatis viam densis spinis strata ( qua viatores in perditionis præcipitia aguntur ) alacri avidoque animo se conferunt. Quorum etiam temerarium imperium veteres castigandum esse putantes, illum Lege, tamquam frero, inhibere instituerunt. Sed quomodo illi iniuritatem profligare, atque e diverso æquitatem constituere studuerint. \*\*\* Et

CONST. IX. ( 1. Abrogatur Nov. 142.c.1. ) ( 2. Adde l.27. §.28. ff. ad leg. Aquil. l.3. §.4.l.4. §.2 l.6. ff ad leg. Cornel. de fiscariis. ( 3.d. Nov. 142.c.1. ) ( 4.Fac. l.ult. C. d. accusatorib. l.ult. C. de calumnian. l.7. C. ad leg. Jul. de vi publ. l.ult. in fin. C. de his, qui latrones. Nov. 93. inf. Nov. Just. 123.c.11. ) ( 5.d. Nov. 142. c.2. ) ( 6. Adde Canon. Apost. 21. 22.23. )

CONST. LXI. ( 1. Abrogatur l.unic. C. de superexactoribus lib. 10. tit. 20. )

quis ( quæso ) quæ nostra Majestas suscepit, non approbet? Quod vero in nonnullis non pro dilecti merito poenam statuere, istiusmodi decretum amplecti recusamus. Quando etenim pro commissione reis judicium obvenit, æquum revera decretum est: quæque illis irrogatur pœna, justa. At, quando delictum gravius 2, quam oporteat, punitur, non id justitiae, sed potius injustitiae esse, censendum est. Quocirca sane, cum superiores Legem 3 promulgant, quæ illis, qui colligendis publicis tributis præfecti sunt ( diuinitas promiscuum vulgus appellare consuevit ) si supra legitimum modum tributa extendere audeant, gravissimam pœnam infligit ( morte enim id delictum persequitur ) & vero non omnino merito tantæ pœnæ illos subjici nos existemus, admissionem illi denegamus: contraque statuimus, ut si quis in id crimen incidisse deprehendatur, semelque tantum id ausus sit, quod amplius exegerit, ejus duplum dependat: si id facere pergit in quadruplum, quod amplius captum est, ad injuria affectum reat, illeque cum ignominia a concredito sibi officio decedat. Ac sit sane posthac delicti hujus hæc pœna, neque pecuniariæ fraudis reus de vita periclitetur.

## C O N S T I T . L X I I .

\* DE PœNA I EJUS, QUI REM ALIQUAM PUBLICAM VENDIDERIT,

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Publicarum injuriarum reos castigari, & hujusmodi pœnis, quæ in illas pronus ad temperantiam adigentes, quam maxime injurias succidant, subjici justum est. At, non idcirco amplius, quam par est, puniri neque jus, ut fines suos excedat, specieque justæ vindictæ cum injustitia velut conspiret, cogi convenit. Si enim pro delicti modo, qui deliquerit, puniatur, justa ea juris ultio sit: at si quam pro eo pœna major inflatur, juris propositum servari non existimo. Eapropter nostra Majestas, posteaquam in iis, quæ a Superioribus constituta 2 sunt, ubi eos, qui publicæ rei aliquid divendere ausi sunt, pœnis subjiciunt, non justam sententiam proferri didicis: ut ejus criminis persecutio non amplius hanc vim habeat, decernit. Quomodo enim justum est, ut cuiquam, quia quiddam, quod detrimentum fisco adferat vendidit, incurabile damnum, vita nempe privatio obveniat? Nequam itaque delictum illud morte puniri dignum est, neque nos hoc judicio deprehensos feriri sinimus. Quicumque autem publicam rem divendere deprehensus fuerit, ubi quadruplum reddiderit, satis pœnatum sustinuisse putator.

## C O N S T I T . L X I I I .

\* DE PœNA ILLORUM, QUI RES VETITAS AD HOSTES TRANSVEHUNT. \*

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quain & hoc crimen, cum ex eodem fonte manet, eidemque pœna a Superioribus subjectum sit, insanibili nos castigationi ( quippe quæ mortis pœnam contineat, ) eximentes, mitiore, quemadmodum & prædicta, dignamur pœna. A veteribus 2 enim statutum est, ne ad hostes transportent, quibus illi instrui firmoresque reddi possint, ac sanctionis decretum contemtores de medio tollebat. Nos vero isti quoque crimiñi mitiore pœnam ( licet acerbam requirat ) assignantes, talia constituimus: ut si navis dominus sit, qui res vetitas ad hostes transvexit, consiliumque suum cum nautis non communicari, is solus pœnam subeat, & supra universum navis onus, ni ipsum inopia valde premat, reliquorum bonorum trientem etiam fisco dependat. Si vero soli nautæ ( ut multa illis malitiosum suum animum celantibus continentur ) id facinus ausi sint, ille quidem prouersus liber esto, hi vero pœnam non effugiunto: ac primum quidem flagris cæduntur, cu-teque tenus tondentur, deinde vero, si divites sint, eorum, quæ exportarunt, quadruplo multantur: si inopes & pauperes, supra verbera ignominiosamque tonsionem, quod alios in servitatemque tradiderint, libertatem amittunt. Nam qui, quantum in se est, non modo quamplurimos in servitatem ducent, sed etiam communis vita acerbitatatem adferunt, tametsi ad servilis vita conditionem adigantur, mediocris tamen hæc atque mitis pœna est. Atque hæc quidem, quando communis consensu patratum non est.

( 2. Nov. 105. inf. l.11. pr. ff. de pœnis. ( 3.d. l. unic. C. de superexactorib. )

CONST. LXII. ( 1. Abrogatur l.3.l.4. quæ res venire non possunt. 2.d.l.3.l.4. )

CONST. LXIII. ( 1.l.4. ff. ad leg. Jul. majest. l.1. l.2.C. quæ res ex-portari. ( 2.d.l.1.l.2. )

facinus. Si vero communis consilio & malitia res gesta fuerit, ut simul eam perpetrarent, ita etiam utrisque ad præstitutum a nobis modum castigandis, simul poenas sustinebunt.

## CONST. LXIV.

\* DE POENA EORUM, QUI NAUFRAGIUM  
SUPPRESSERINT.<sup>1</sup>*Idem Imperator eidem Styliano.*

Illa etiam atque etiam admiror, quomodo qui naufragio ejectas res occultat, tantum delinquare videatur, ut id mortem ipsi inferre debeat. Quod autem, qui illos rebus suis defraudat, quibus aliquis misericordia motus, vel de suo sumptus, suppeditet, quemque in corde dolorem circumferunt, leniat (cum præsertim graves cruciatus in bonorum amissione sustineri consentaneum sit) ille non mediocre flagitium audeat, id vero luce clarus est. Atqui quod hos, quos vecors cupiditas huc impulit, vita privari operat, hoc profecto intellectu assequi nequeo. Nam quid tantum ablatum est, ut cum anima conferri possit, qua privari debere ille condemnatur? Pessimus quidem certe est & sacrilegus, qui se istiusmodi lucro mancipat: ac sane ille (id quod ab aliquibus sit) mortuos spoliat. Verumtamen id facinus istiusmodi non meretur poenam. Pro re enim materiali & fluxa, materia expertem atque immortalem, animam nempe, capere haud est æquum. Nam si persæpe neque in rebus materialibus multa illatum damnum longe superat, quo videlicet velut circuitum aliquem iniquitas excessu non conficiat: quamobrem tam inæqualis poena illos, qui naufragorum res occultant, percellat, ut excessus, quem ultio ad facinus refert, exprimi verbis nequeat? Jubemus igitur, ut de hoc non amplius ita vindicetur, sed pro re detenta, qui occuluit, quadruplum dependat, eaque poena id delictum defungatur.

## CONST. LXV.

\* DE INCANTATORUM POENA.<sup>2</sup>*Idem Imperator Styliano.*

Qui propter temulentorum incompositum malignumque animum reprobadum esse vinum, ejusque oblectamentum aversandum dicit: n̄ ille propter perversum usum, rem per se non perversam fugillat. Ego vero promulgata a veteribus Legitoribus Legem & considerans, eam, quæ modo incantamentum malum esse rata, id punit, modo vero admittit & approbat, quamquam id ex utentium proposito malum non fiat, sed sua natura vitiositate, tanquam sterquilinia graveolentia scaturiat: non tamen illos Legislatores reprehendendos dixerim, sed ne quis Legem (quod merito fiat) vituperet, eam ex Legum quasi fundo tollendam puto. Vult autem puniri incantationes, eo quod modestia animi sublata, stimulis furoreque & amatorio rationem ad insaniam adigant: ac approbat & rursum illas, tanquam segetes, & fructus curent, aliaque bona (ut quidem videtur) suppeditent. Atque ita quod tanquam infidiosum puniisset, idem rursum tanquam beneficium honorat. Atqui nos istiusmodi incantationes perniciose esse persuasum habemus: & ut boni quicquam inde manare credamus, induci non possumus. Ac sane etiam, si boni quippiam producere illas appareat (quomodo quidem approbanti ipsas Legi videtur) non id bonum esse, sed illecebram atque nassam, quæ illectos in malorum omnium extremum, ubi a summo bono excedant, absorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis est, illas, ut qui se ipsis dedunt, præ Creatore & Domino infaustis, dirisque dæmoniis adhærent, efficere: & qui illas assectantur, hos per externatum rerum latam quandam speciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticulosus frequenter accidit: qui, dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput, vel ventrem exponunt. Sane vero si quis aliquo modo incantamentis usus esse deprehensus fuerit, sive id restituenda conservandæ valetudinis, sive avertendæ rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum poenam subiens supremum supplicium sustinet.

## CONSTIT. LXVI.

DE PLAGIO.<sup>1</sup>*Idem Imperator Styliano.*

Ut justitiae libram non plus æquo ad misericordiam inclinare, ita neque nimia austerritate delinquentibus graviorem, quam peccatum requirat, poenam imponi, honestum est. Illud enim (intempestiva commiseratio nempe) in illis, quibus decorum excedere religio non est, contemptum, & ad audenda mala ferventiorum promptitudinem gignat & graviore, quam pro merito delictum poena ferire, id vero non justitiae ultio, sed sub specie justitiae rem injustam aggredi est. Nam non pro delicti modo delinquentem punire injuria afficeret, nequaquam vero justitiam exercere est. At, quem in finem hoc dictum est? quod Lex & quod nefcio modo (est enim hoc constitutum) eum, qui alienum servum abduxit, morte puniat. In quo illa poenam ad delictum haud dubie non expendit. Quum enim quod recuperari nequeat, amissum nihil sit, mortis poenam illi, qui coepit inferri, irrecuperabilique ita damno subjici, non est æquum. Idcirco itaque ab iis, qui digna morte non commiserunt, iam acerbas poenas exigi, ubi iniurum esse animadvertisimus, quam Legem consuetudo contempnit (ut quæ vita plagiarii non privet, sed alio modo puniat) eandem nos etiam Legalibus Constitutionibus ejientes quod consuetudini placuit, Lege confirmamus: ac jubemus, ut si quis alienum servum abduxisse deprehensus sit, is eundem, ejusdemque pretium, tum etiam quicquid ex industria ejus ipsi accessit, reddere, & quantum dominus non amissio servo ejus nomine perciperet potuerit, tantudem dependere cogatur: atque ultra hæc delinquentibus poena non aggravetur. Si quidem ita illi, qui servum amisit, sufficenter damnum resarcitur, furique satis magna poena irrogatur: quippe quum ille servum cum accessione recipiat: & quam utilitatem ex servo non surrepto sensisset, illa non immunit, hic vero in duplum servum surreptum reddere debeat, nihilque ex ipsius servitute lucretur.

## CONSTIT. LXVII.

## DE IIS, QUI AD HOSTES TRANSEUNT, SUAQUE.

## SPONTE REVERTUNTUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Similis nimia austertas & severitas, similis immoderata lenitas & clementia, ex aquo utraque, quod utile est, intervertunt. Etenim & qui supra modum præfractus est, & qui lenitatem gravitate miscere nequit, uterque sive alicui uni, sive familiæ, sive civitati præficit, quibus præfectus est, cum illorum detrimento res administret. Oportet enim, ut, qui recte præfuturus est, quemadmodum temperata salubritate loca æquabiliter mixtas habent aeris qualitates: ita & ipse affectionum commissione ad rerum administrandarum utilitatem attemperata, se moderatum præbeat, & neque morositate gravis arque intolerabilis sit, neque indecora lenitate despicibilis, & ad gubernandum ineptus fiat. Quod autem de ære dicimus, hoc certe & in legibus servari omnino convenit. Nam oportet Leges, quum revera Reipublicæ Principes, sicut, quam dixi contemperaturam conservare, neque ad severitatem lenitatemve supra modum respicere: siquidem, qui ipsatum rectiorem agnoscent, incolumes futuri erunt. Atque hæc quidem respectu præfractæ illius Legis, quæ adversus eos, qui ad hostes transfugerent, lata est, a nobis dicuntur. Vult autem illa & uti transfuga, si quando penitidine ductus, redeundo ad suos commissum delictum oblitterare velit, bestiis devorandus objiciatur, aut in furcam tollatur. Quod sane mihi Reipublicæ magnopere documento esse magnamque rationem ad salutem iter monstrantium contrarietatem gignere videtur. Necessitatem enim transfugis inducit, ne unquam recordentur suorum, neque revertendi in patriam concipient desiderium. Nullus est enim omnium, qui, quum se istiusmodi poena excipiendum sciat inter hostes vivere, quam tam acerbam in patria mortem subire, non malit. Quapropter rigidam hanc severitatem, ut ne iniquitatem dicam (nam eum qui deliquerit, deindeque suapte sponte ad medendum delictum resipescit, tam acerbe puniri, quomodo non est iniquum?) ex justissimis legibus profligavimus, ac jubemus, ut si quis transfuga in partiam recurrat, quum semel dumtaxat transfugerit, veniam consequatur: si iterum id fecerit, in triennalem servitutem diven-

CONST. LXIV: (1. Abrogatur l. 3; in fin. ff. de incendio: l. 3, §. 4 ff. ad leg. Corn. desicar.

CONST. LXV: (1. Abrogatur l. 4. C. de maleficiis & maleficiis. (2. d. l. 4. (3. v. l. 15. in pr. ff. de injuriis. (4. d. l. 4.

CONST. LXVI: (1. Abrogatur l. 7; C. ad leg. Fab. de plag.

(2. d. l. 7.

CONST. LXVII: (Abrogatur l. 3, §. 10. ff. de re milit. (2. d. l. 3, §. 10. (3. Fac. d. l. 3, §. 9.

datur: si vero tertio transfugerit: reversus in perpetuam, ac aeternam servitutem adigatur. Tam incerti enim consilii homo, tamque inconstans, qui libertate fruatur, indignus est. Ceterum si transfuga non ulti redierit, sed ab aliis comprehensus in patriam retractus sit, morte tum illum, tamquam hostem puniri, neque injustum, neque crudele fuerit: praesertim vero, si ante civili sanguine manus contaminaverit.

**C O N S T I T . L X V I I I .**  
**U T M O N A C H I , E T C L E R C I T U T O R E S E S S E P O S S I N T :**  
**S E D A B A D M I N I S T R A T I O N E , A C P U P I L L O R U M**  
**R E C T I O N E A R C E A N T U R .**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Veteribus quidem Legislatoribus 1 (quum ut simile veri est, uniformis, & simplex tunc temporis tutela esset, iisque soli, qui pupillorum tuitionem susciperent, tutorum nomine censerentur) edicere visum est, ne Monachi aut quoscumque sacer ordo devictos habet, tutorum officio fungantur. Et certe quidem id recte edixere. Intellexerunt enim, qui divino Ministerio consecrati sunt, hos ab externarum rerum occupationibus & molestiis liberos esse oportere. Quantum autem alendorum aliquo regendorum puerorum cura hominum animos distrahat, utque Deum debite colere non possint, impedit, nemo ignorat. Cum itaque non exigua difficultas isti rei insit, ac præcipue propter temporis diutinatem (tota enim plerumque vita tutores laboriosis istis curis irretiti tenentur) recte (quomodo dixi) istud illi decretum promulgarunt. Verum quoniam posteriores illis dumtaxat, qui tutelam administrarent, tutorum appellationem non servarunt: sed hos etiam, quibus testatores, bona illorum existimatione moti, testamentarias de rebus suis præscriptiones 2 committunt, ac post mortem earum executionem concredunt, tutores vocare coeperunt: ac vero inde dubitatio exstitit, an Monachi, quique sacrum ordinem subierunt, quod dictum decretum id non admittere videatur, hanc demandatam curam suscipere possint: nos discrimine adhibito sancimus, ut ab illa tutela, ad quam vetera tempora respicientia, promulgandi decreti, quod dictis personis ad illam aditum præcluderet, occasionem prebuere, penitus illi arceantur, natam autem postmodum tutelæ speciem subire ipsis licitum sit. Hujus namque muneric non ita graves curæ sunt, ut a divino Ministerio aliquem abstractant, sibique totum adstringant. Tum alioqui quanto hi illis, qui profanis rebus impure inhærent, ac in terrenis fôrdibus voluntur, cautius diviniusque vivunt: tanto melius cautiusque defunctorum præscripta expedienda esse spes est.

**C O N S T I T . L X I X .**  
**\* CÆCOS SECRETO I TESTAMENTUM**  
**FACERE POSSE.**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quandoquidem de eo, quomodo cæcos testari oporteat, dubitatur, eaque dubitatio ex locis legalibus (quod de ea re Leges inter se diversa statuant) & ex ea, quæ nunc obtinet, consuetudine existit: neque hoc altius expendere atque repurgare inconveniens, aut alienum putavi. Etenim alia Lex 2 prohibet, ne cæcus arcane modo testamentum condat: & ne aliter id vim habeat, statuit, quam si testes, quæ constituta sunt, a cæci ore processisse, suisque auribus insonuisse, afferant: atque per solum tabularium illorum fidem communiri non vult. Alia 3 autem latam quamdam ad arcane modum mulieribus, & illiteratis hominibus viam aperit, dum nullam aliam observationem præscribit, quam ut, si testator literarum non omnino ignarus sit, sua subscriptione testamentum corroborare debeat: si vero id præstare non possit, pro se alium ad subscriendum assumat. Atque sic quidem ex Legibus illæ inter se res dissident. Quomodo enim si mulieres rudesque literarum, quam paucissimis voluntatis suæ conscientis, testamenta condent, quum fides in solo tabulario fluctuet, non ex eadem causa cæcus liberam testamenti factiōnem habeat? Jam vero & consuetudo, non solum autem alterius Legis ratio, cum Legge pugnat. Etenim placet huic ne mulierum, & imperitorum literarum, cæcorumve testamenta arcane facta vigore priventur: Quod cum ita sit, nos quoque, ut secreto confecta testamenta, sive

**CONSTIT. LXVIII.** (1. v. Nov. 123 c. 6. · 2. Fac. l. 96. §. 3 l. 107. ff. de legat. 1. l. 21. §. 4. ff. de annuis legat. l. 9. ff. de aliment. l. 28. ff. 1. C. de episcopis.

**CONSTIT. LXIX.** (1. Mutat. l. 8. C. qui testamenta. (2. d. l. 8. (3. Nov. 119. c. 9.

cæcorum, sive aliorum quorumvis sint, auctoritatem obtineant, sancimus: illudque insuper statuendo addimus, ut, antequam testes jurent, subscriptiones eorum, qui testamenta conscripserunt, in medium proponantur, quæ sonent, quod revera illa scripserint, quæ ipsa testatoris lingua dictante audiverunt. Et si quidem falsum commissum esse postmodum probetur, ipsos si divites sint, bonorum admittio; sin pauperes, vehementia vebera & exilium in delicti poenam maneant. Quibus hoc insuper anneximus, ut si quando ad sui confirmationem (quod frequenter incidit) juramentis testamento opus sit: ipsi etiam, qui testamentum conscripserunt, una cum juraturis testibus rei fidem & veritatem corroborent.

**C O N S T I T . L X X .**  
**D E G R A S S A T I O N I B U S .**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quos communio in unam aliquam eamdemque conditionem conjungit, inter hos communies etiam animos esse ubique videoas. Ita in negotiationibus socii 1 lucrum damnumque aequaliter inter se partiuntur: ita iterum comites, quum fortuito in rem aliquam incident 2, tametsi saxe uno illam momento pariter non conspiciant, ejus tamen inter se jus communicant. Ita vero & commilitones, licet omnes non pari studio & impetu in hostem ferantur, attamen victoriz palmam ex aequo auferunt. Quapropter etiam, ut qui malitioso consensu coitione facta, rem aliquam, in quam a Lege poena constituta est, inceptant (utpote si 3 raptus committatur, vel parricidium 4, alteriusve cuiuspiam cædes perpetretur) quamquam non omnes tantumdem momenti & operis reperagenda conferant, eamdem tamen poenam sustineant: sane quam recte veteri Legislatori placuit. Et nos quoque idcirco, quæ de his, qui simul & communiter latrocinandi 5 animo homines invadunt, jam olim sancta sunt, approbantes, statuimus, uti omnes, quotcumque fuerint 6 eodem supplicio afficiantur: tametsi parem operam rei perpetrandæ non omnes adhibuerint. Non enim, si quis ipse manus inferendæ neci non admoverit, continuo insons & a poena immunis esse poterit. Quid enim si pressis ipse manibus, alterius tamen dextram ad cædem intenderit atque confirmaret? Sane, quod manus homicida, a communi perversitate instigata, rem aggressa fit, constat. Nam nisi aliorum manus huic in subsidium præsto fuissent, non certe ita prompte homicidium perpetrasset. At properea (quemadmodum dictum est) quamquam uno cujuspiam iœtu (quod fieri potest) mors illata fuerit, aliorumque manus suppetias non tulerint: ut eamdem tamen omnes poenam sustineant, decernimus.

**C O N S T I T . L X X I .**  
**D E IHS , Q U I I N L O C I S A R A B I L I B U S , A U T V I N E I S**  
**A D I F I C A T U R I S U N T .** 1

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Præstantissimum illud æquissimumque Patrii nostri sempiternæ gloriae Principis placitum, quanto videlicet a vicini finibus spatio abstinere debeant, qui in locis, quos haec tenus aratum secarit, in eis quibus vineæ constiterint, noviter domus assignandas muneri bus publicis ædificare velint, quoniam ab ipso in Legum corpus transcriptum non est, Legis auctoritate decorari oportere judicavimus. Statuimus igitur, ut, qui in locis ad sementem excultis novas cædes construere volunt, si loci amplitudo ferat, secundum illius placitum a vicini finibus tanto spatio ædificant, in quantum arcus iterata vice telum ejaculetur: sin tantum spatium interstitio loci angustia non præbeat, uno etiam arcus jactu hoc constituantur. Intra dictum autem spatium novam domum extruendi nemini facultas sit. Cujus ratio evidenter est, quam ut exprimi opus sit. Quo enim ædificium proprius vicini fruges ponitur, eo illi etiam noxa propinquior est.

**CONST. LXX.** (1. §. 1. Inst. de societate. l. 29. ff. pro socio  
(2. Adde §. 47. Inst. de rer. divis. l. 5. §. 1. ff. pro derelicto. l. 43. §. 7.  
8. 9 ff. de furtis. (3. l. un. §. 2. C. de raptu. (4. l. 2. l. 6. l. 7.  
ff. ad leg. Pompej. de parricid. (5. Fac. t. 28. §. 10. ff. de pænis. Nov.  
134. c. 13. vers. eos vero, ibi, aut itineribus. (6. v. l. 2. §. 12. ff. de vi  
bonor. rapt.

**CONST. LXXI.** (1. v. l. ult. ff. fin. regund.

## CONSTIT. LXXII.

UT FACTA ETIAM NON CONSTITUTA  
POENA VALEANT.*Idem Imperator eidem Styliano.*

**L**ege*l* i decreto, quod nudum pactum non actionem, sed solum exceptionem patere tradit, nonnullos illudere videmus. Dum enim omne pactum, quod poena stabilitum non est, nudum esse volunt: etiam si scripto comprehensum sit pactum, etiam si, qui pactum inierunt, sua manu sacrosanctæ Crucis 2 nota scriptum signarint, etiam si divini Ternionis appellationes adjectæ sint: si tamen preaa constituta non sit, id, ut invalidum, contemnunt, ac rejiciunt. Qui sane male sentiunt, minimeque judicium suum comprobant, ut, qui rebus divinis communes res mortalium longe præferendas censeant. Quam enim tantum, resto quidem hominum iudicio, adjectio poæ, pactis auctoritatem, quantam sacrosanctum signum, divinitatisque nomenclatura in illis conspecta præbeat? Sancimus igitur, ut omne pactum, in quo ex divinis hisce adjumentis idoneum aliquid ad faciendam fidem insit, quanvis de poena nihil scriptum sit, firmum solidumque robur habeat.

## CONSTIT. LXXIII.

\* UT NEMO CUM I MULIERIBUS IN ECCLESiarum  
COENACULIS HABITET.*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uæ res etiam, antequam jure prohibita esset, detestabiliter committebatur; ac vero post prohibitionem multo detestabilius audetur (quod nempe in Ecclesiarum coenaculis, quæ promiscuum vulgus Κατηχίου vocare solet, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectum habere æquum non est: neque vero ita a nobis habebitur. Ac fuit hæc quidem res ad sextam usque Synodum, haud scio, qua ratione, impune admissa: in ipsa autem sancta Synodo, ubi penitus excussa esset, Sacerdotibus ita habitantibus, remotionem a sacro ordine, profanis vero a rerum sacrarum communione separationem induxit. Verum ut plene ab eo ausu Ecclesiæ vindicaret, ad id sacerdotale decretum non paruit. Nam cum ad id usque tempus, quo Pater noster inelytus Princeps sceptra moderatus est, in Republica constitisset, ut Principis decretum atque manu, eam insolentiam faeris ædibus expelleret, oportuit. Quod nos quum deinceps obtinere velimus, statuimus, ut omnino nullus neque sacerdos, neque profanus, in dictis coenaculis cum mulieribus habitet: ac si quis sacram ædem hoc modo foedare deprehendatur, hic illinc ignominiose principali manu exturbetur; qui vero illi cum locum habitandum præbuit (sive Sacerdos, sive aliquis alias, qui templum procurat, sit) ipse quoque propter Legis contemptum sacerorumque profanationem proculitate pericitetur.

## CONST. LXXIV.

\* NE ANTE LEGITIMUM MATRIMONII TEMPUS  
FUTURIS CONJUGIBUS BENEDICATUR. I*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uoniam in iis, quæ a sacra magna sexta Synodo de nuptiis in duodecentesimo Canone præcipiuntur, quiddam civilis juris placitis contrarium existere videtur (Synodus enim, ne sponsa, vivente adhuc sponso, in matrimonium alteri conjungatur, in universum prohibet, eamque rem pro adulterio habet: Civilis autem Lex 2 nequaquam tam dissolusionem magnum aliquid esse crimen judicat: sed si maturius, quam pro connubiali tempore solemnis nuptialis benedictio celebretur, in solis arrhis, & quicquid poenæ nomine promissum fuerit, dependendis, poenam circumcludit.) Quoniam itaque ipsum contrarietas velut vulnus hinc actior ratio conspicit (quod enim post benedictionem dirimantur, in eo vera sponsaliorum dissolutio statuenda est: sancimus, ne prius benedictiones celebrentur, quam legitimum matrimonii advenerit tempus, quod 3 in maribus decimum quintum, in foeminis decimam tertium expectat annum. Sic enim & benedictio tempestive fiet: & despontatis a se invicem divertentibus, quod perfectum matrimonium dirimant, a civili Legi iudicium, quod Ecclesiæ placitis non aduersetur, obveniet.

CONST. LXXII. (1.l.7.§.4. ff. de pactis. (2.Fac.l.ult.§.2.iu fin.C.  
de jure delib.Nov.90.in fin.præf.

CONST. LXXIII. (1.Fac.Nov.123.c.29.c.36.Nov.133.c.3.l.19.l.44.  
C.de episcopis.

CONST. LXXIV. (1.Nov.109.inf.adde Nov.89.inf. (2. l.1.l.2.  
3.C.de sponsatib. (3.Nov.Justin.100.c.2.

## CONSTIT. LXV.

\* UT, QUI VIGINTI I ANNORUM EST, HYPODIACONUS  
CREARI POSSIT.*Idem Imperator Stephano sanctiss. Constantinop. Archiepiscopo,  
& Patriarchæ universalis.*

**S**i sacerorum decretorum sanctio ad res civiles transiens, in illis laxe plus auctoritatis, quam ipsæ civiles, de iisdem ictibus tractantes Leges habeant: quanto magis facta de cœta in suis rebus civilibus Legibus prævalebunt? At, quid est, quod dico? Sexta Synodus vicenatium Hypodiæconum ordinari posse sancit: huic vero civilis 2 Lex contradicens, viginti annis quinque admetiri jubet. Nos itaque uti sacram Legem sacer ordo sequatur, convenire rati, ut ad Hypodiæconatum, qui quidem eo digni sunt, anno ætatis suæ vigesimo admittantur sancimus.

## CONSTIT. LXXVI.

## DE POENA FALSUM TESTIMONIUM

## DICENTIUM SACERDOTUM.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uæ præconibus Dei (sacrosanctis Apostolis nempe) Sacra Sanctorum adscribuntur, Sacerdotes falso jurasse deprehensoris, sacra dignitate privant. Civilis vero Reipublicæ moderatrices Leges 2, ubi hujus rei constituendo tractatui incumbunt, falsum testimonium bifariam dividunt: & quod falsum dictum in causa criminali deprehenderint, remotione a sacro ordine puniunt: qui vero in re pecuniaria falsum testimonium dixerint, hos ad tempus relegando, non autem penitus removendo puniunt. Nos igitur jubemus, ut, qui jurati falsum testimonium, sive in causa criminali, sive pecuniaria tulerint, profani illi a Sacerdotio abspellantur: at, si ad falsum testimonium jusjurandum non accesserit, qui falsum veritatis specie obtegere conati sunt, in triennium regentur, (relegandi autem in Monasterium aliquid erunt, ubi illos ad arctiorem vitæ quamidam normam vivere oportebit) delictique convenienti poenitentia facta; in pristinum suum restituantur statum.

## CONSTIT. LXXVI.

## \* DE FALSARIORUM POENA.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

**C**um in plerisque aliis, tum præcipue in Legum tractatibus reprehendenda obscuritas est. Nam sicuti alibi, illic certe distorto intricatoque dicendi genere vacare, recteque informari orationem (ni fallor) oportet: non enim arcana quædam Sanctiones Legis sunt, ut a multitudinis intellectu remota esse debeat: sed potius, si fieri posset, neminem illas 2 latere, neque virum, neque puerum, neque mulierem, oportebat. Quippe quod ad id hominum mores in melius convertendos, communisque vitæ utilitates vel maxime conduceret. Ob id, cum ad difficilem illum Legalium capitum locum substituimus, ubi ipsis verbis, quasi Legislator in eo quid diceret, occultare voluisset, ita comprehendendum est 3, *Falsarius in maximo delicto supplicio capitali afficitur*: cum, quale tandem maximum illud delictum esse Legislator ipse existimat, non constet, illeque ejus rei intellectum non definitum præcidat: evidenter & definite illam orationem explanare nobis visum fuit. Sancimus igitur, ut, si istiusmodi quædam falsarius conscriperit, ex quibus is, adversus quem falsum scriptum concinnatum est, mortis poenæ subjiciendus sit: ipse falsarius poenæ, quam in alium machinari cogitarit, traditus decolletur.

## CONSTIT. LXXVIII.

\* NE AMPLIUS SENATUSCONSULTA  
FIANT, I*Idem Imperator eidem Styliano.*

**Q**uemadmodum & in aliis Legibus, quæ ad communem rerum usum nihil conferrent, fecimus, ut eas tamquam supervacaneas e Legum corpore subduceremus: ita hic quoque facientes, eam 2 Legem, quæ Senatui ferendarum Legum potestatem facit, a Legum quasi Republica secerni sancimus. Nam, cum, ex quo

CONST. LXXV. (1.Nov.16.supr. (2.Nov.123.c.13.

CONST. LXXVI. (1.Canon. Apost.24. (2.Nov.123.c.20.

CONST. LXXVII. (1.l.1.in fin. ff.l.1.l.5.l.22.in fin.C.ad leg.Corn.  
de falsis. (2.l.9.C.de legib. (3.d.l.22.in fin.

CONST. LXXVIII. (1.Abrogatur tit.C.de senatuscons.l.9.ff.de le-  
gib. (2.d.l.9.

Senatorialm administrationem Imperatoria Majestas sibi vindicavit inutilem illam esse judicari debeat: si cum utilibus congeneretur, & ineptum & supervacuum esset.

## CONSTIT. LXXIX.

\* DE POENA SACERDOTIS, DIACONI AUT HYPODIACONI,  
SI POST ASSUMPTUM ORDINEM MULIERI IN MATRIMONIUM JUNGATUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ semel Deo dedicata sunt, ea deinceps auferri non oportere, quæ sanctum est: idque non solum in donatiis, verum multo etiam magis in hominibus, qui per sacrum ordinem divinæ Majestatis consecrati sunt, observandum est: tametsi (ut multi sunt hominum lapsus) e statu, in quem, tamquam honeste victuri, allegerant, peccatum, dominio in ipsos suscepit exturbet. Non approbantes igitur veteris & Legislatoris propositum, qui Sacerdotem, Diaconum aut Hypodiaconum, si post assumptum ordinem mulieri in matrimonium jungatur, omnino a clericali habitu discedere, atque ad profanam vitam reverti vult: illud decretum irritum facimus, ac vero statuimus, ut ab ordine, quem ante nuptias obtinuerint, solum recedentes, satis tamen poenarum lucte videantur, & nequaquam clericali habitu, alioque Ecclesiæ Ministerio, cuius quidem usus illicitus non est, judicio priventur.

## CONSTIT. LXXX.

\* UT PURPURA SEGMENTA & PARTICULÆ IN PUBLICIS MERCIMONIIS SINT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Haud scio, qua ratione superioris XVI Imperatores, cum ipsi toti purpura vestirentur, industi fuerint, ut, ne i qua omnino purpura particula venundaretur, statuerent, neque cuiquam talem colorem vendere, aut emere permetterent. Ac sane, si integrum telam venire illi prohibuissent, aliquam fortasse ejus faciendi, non alienam a ratione, occasionem habuisse videri possent: at, quod segmenta atque frustula, quæ utilitatem atque usum neque vendenti, neque ementi inconvenientem praebant, in mercimoniis esse prohibuerunt: id vero quam honestam, & quæ subditorum inadvertia vacet: illorum judicio praetendet causam? Nem quod aut Imperatoria Majestatis aduersetur eminentia, aut eam in communem usum devocet, quid quæso hinc existat? Nos itaque isti decreto non acquiescentes, constituimus, ut purpure frusta, atque segmina, quæ magnificientia speciem, aliumve non prohibitum usum subditis praebant, tam divendi, quam emi possint. Decet enim Imperatoriam Majestatem, cum aliis multis modis subditos beneficiis afficiat, eorumdem magnificientia ne invideat.

## CONSTIT. LXXXI.

\* NE EX AURO I ET PRETIOSIS LAPILLIS QUICQUAM CONFIERI IN UNIVERSUM NEFAS SIT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Hanc vero etiam Legem 2, quæ mundo muliebri annulisque exceptis: aliquid aliud ex auro & gemmis conficiendi omnem protus facultatem adimit, ejusdem cum illa, quæ de purpura tractat, esse instituti animadverentes, in eamdem quoque cum illa conditionem reponimus. Non enim simpliciter ex auri materia quicquam in opifcium præberi, sed species operum prohibeti oportebat. Quoniam, ne quod omnino ex auro & gemmis opus confiat, vetare, manifesta id se supra omnes efferendi cupiditas est. Jam vero, quod in quacumque re Legem transgressus esse deprehensus, tam gravem poenam sustinet (centum libraturum auri inulstam, quodque huic acedit, capitale supplicium dico) ut ea Lex non summa immanitatis esse putetur, qua ratione devitabitur. Quantam autem aliam absurditatem in sacris thesauris aliisque nonnullis rebus effectus poenæ designet, non atingo. Nos itaque non simpliciter opus aliquod ex auro & gemmis confici, sed illa opera, quæ solis Imperatoribus permittuntur, quorumque usus magnificientia Imperatoria Majestatis, ejusque necessitatibus destinatus est prohibenda judicamus. Quare si quis vel monumen-

CONSTIT. LXXXI. (1. Abrogatur Nov. Justin. 6.c. 5. vers. si autem aliquis presbyter.

CONSTIT. LXXX. (1.l.1.C quæ res venire non possit. ult. 2. de vestib. holober. (2.l.pen.C.d.t.de vestib.holober.

CONSTIT. LXXXI. (1. Abrogatur l.unic. vers. nulli. C. nulli licere infraueni. (2.d.l.unic.

tum sacrum, vel aliud quiddam, quod supra privatam dignitatem & honorem non sit, confiscere poterit, liberam ejus faciendo voluntatem habeto.

## CONSTIT. LXXXII.

DE TESTAMENTO RESIGNATO.  
*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ fortuito quadam casu contingunt, eorum permulta nondum expensa criminis nomine notantur: quæ eadem accuratius post modum perspecta, a nota absolvuntur. At, quale est, quod dico? Persæpe non de industria, sed fortuito aut ferri, aut lapidis jaetu aliquis læditur. Eo necdum discussio, qui jaculatus est, sons judicatur: diligentem autem de eodem examine habito, quare culpetur, nulla justa ratio invenitur. Quamobrem, quæ casu eveniunt, ex circumstantiis magis, quam e rei natura, judicari convenit. Verum, quorsum hæc dicuntur? Quoniam testamentum postulante necessitate apertum 1, quum interdum deinceps resignatum relinqui contingat, aut ipsum tempus (quod fieri afolet) sigillum consumat, fide, quam signatum haberet, destinatur, indeque incertitudo quædam istiusmodi testamento insidietur: testamentis alio modo ad fidem confirmatis subvenire visum est, ac jubemus, ut, licet ad fidem faciendam illis sigillum salvum non sit, subscriptiones tamen, ut ratæ maneat, testimonio præsent. Que madmodum enim testamenta nondum aperta, quamquam (ut sit facile) sigillum illæsum servatum non sit, subscriptiones confirmant 2, sic illa etiam, quæ postmodum aperta sunt, aut negligenter non obsignata manserunt, aut, quibus diurnitate temporis sigilla perierunt, ne fide priventur, dammodo ex subscriptionibus fides illis superbit, justum putamus. Illud porro insuper sanctum, ut si judicis socordia, ne testamentum denuo obsignaretur, factum sit, ipsi in socordia poenam duodecim libraturum multa imponatur.

## CONSTIT. LXXXIII.

UT AD TRIENTES USURAS PECUNIA LICITE MUTUETUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Si a spiritu Legibus ita se mortale genus regi sineret, ut manus præceptis nihil indigeret, id vero & decorum, & salutare esset: at, quoniam se ad Spiritus sublimitatem elevare, divinæ quæ Legis vocem amplecti non cujusque est: ac vero, quos hoc virtus ducat, numero valde pauci sunt: bene fese adhuc res haberet, si saltē secundum Leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecunia creditæ usuræ, ubique a Spiritus decreto condemnantur. Id sciens pater noster, æternæ memoria Princeps, usurarum solutionem Sanctione sua prohibendam putavit. Atqui proper paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem Legislator proposuerat) sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam Legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt. Quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere consequitur, ad jusjurandum abnegandum, id occasionem præbuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perversitatem, non modo non profuit Legis virtus, verum etiam obfuit. Quamquam igitur ex se Legem culpare (quod quidem etiam absit) nequeamus: propriea tamen, quod humana natura (quomodo diximus.) ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus: ac in contrarium statuimus, ut æris alieni usus ad usuras procedat: idque, quomodo veteribus 1 Legislatoribus placuit, ad trientes centesimæ nempe, quæ 2 quotannis in singulos solidos singulas fœnatoribus filias pariunt.

## CONSTIT. LXXXIV.

UT NEGOTIARI, EDIFICARE, MUNERAQUE ACCIPERE URBIS MAGISTRATIBUS LICET. 1

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ asuperioribus 2 de Magistratibus regia urbis decreta sunt (ne videlicet illi neque mobile aliqd, neque immobile emant, ne

CONSTIT. LXXXII. (1.v.tii. ff. testamenta quemadmodum aper. (2. l. 30 ff. qui testam facere.

CONSTIT. LXXXIII. (1.l.26. §.1.C. de usuris. (2.Nov. Justin 32. c.1 ibi in singulos solidos.

CONSTIT. LXXXIV. (1. Abrogatur l.unic. C. de contractis. judic. vide tamen Nov. Romani senior. c.1.infr. (2.d.l.unic.

que ad ædificandum accedant, nisi Principis permisso; insuper vero, ne, si quæ Magistratus tempore munificentia accedat, hæc rata fiat, extra quam, si donator finitio Magistratu scripturæ auctoritate illam confirmet, aut post Magistratum quinque anni elapsi sint) hæc quamquam hujus contemplatione, ne 3 vis locum inveniat, optimæ tati ne constituta sint: quia tamen alio etiam modo violentia viam præcludere facile est, nobis non videtur esse necessaria. Quocirca etiam abrogata illa esse volumus: idque ideo præsertim, quod, ex quo transgressione illorum in dies magis atque magis impunita relictæ, poena exerceri debet, etiam ante nostrum decretum nullam vim habuerint. At, qua de causa illa necessaria non sunt? Quod cuique tam pauperi, quam diviti (cum iis, qui ad hanc Urbem habitant, compellate Principem, eique supplicare expeditissimum sit) liceat, si quam vim sustineat, ne omnino a violento Magistratu conficiatur, precibus a Principe impetrare: adeo, ut nulla necessitas sit, ut, quemadmodum in Provinciis omni auxilio va-  
cuis, ita etiam in Urbe, ubi abunde auxiliū est, hæc adeo ex-  
alte requirantur. Sancimus itaque, ut secundum præsentem rerum statum tum emere, tum ædificare Magistratus possint, & in suscipiendis, quæ sponte offeruntur, muneribus 4, criminazione vident, quippe cum, qui vim sustineant, quandocumque tale ali-  
quid incidat, his supplicando Principi illam effugere integrum sit. De Provinciarum autem Magistratibus illud insuper statuere visum est, ut Praefectus Magistratus sui tempore neque quicquam emat, neque in suum usum extiruat, neque denique dona libere admittat. Alii vero minores Magistratus, relata ad Praefectum: ipsius judicio aut removeantur, aut administrationem ex-  
pleant.

## CONSTIT. LXXXV.

UT PATRES I, QUI NUPTIAS NON ITERANT, UNIUS LIBERORUM PORTIONEM CAPIANT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quoniam maritis cum liberis ab uxoribus relictis; quid de do-  
natione propter nuptias statui debeat, non præscripsimus: il-  
lam autem, donante consuetudine, præmorientes uxores, capiunt,  
nihil in hoc nos consuetudinem innovandam putantes, statuimus,  
ut, quemadmodum hactenus comparatum Legibus fuit, mulieribus  
donatio propter nuptias detur: viris autem, si iterum matrimo-  
nium contrahant, nihil accipere liceat: sicut prius matrimonium  
venerentur, in remunerationem hujus honorifica voluntatis, ipsis  
unius, liberorum portio secessatur: idque hac ratione, ut, si illa  
donationem propter nuptias vel æquet 2, vel exsuperet, eo quod  
aut luctum, aut saltem nullum damnum sentiatur, hac accepta  
illi contenti sint: si vero non exæquet, atque minor sit, neque  
de suo quicquam dent, neque e diverso ex mulieris bonis quic-  
quam accipient.

## CONSTIT. LXXXVI.

\* DE POENA EPISCOPORUM, SACERDOTUM, ET CLERICORUM,  
QUI SE ADVOCATIONIBUS, SPONSIONIBUS,  
REDEMPTURIS, ALIIUSVE SIMILIBUS,

DEDUNT. I

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Qui a divina bonitate ad divinum sacrosanctumque altare delecti-  
sunt, hos non modo a peccati turpitudine mundos esse, verum  
etiam a communis vita negotiis & molestiis vacare decet. Sicut enim  
alta incontaminati sacrifice cultus monumenta vulgari contamina-  
tione profanari non licet: ad eundem modum neque animata im-  
maculati sacrarii ornamenta communi usu dedecorari, sed in quem  
ordinem consecrata sunt, in eodem consecrationem puram conser-  
vare convenit. Admodum igitur decenter Apostolorum, præco-  
num Dei, Decretum 2, Episcopos, Sacerdotes, & Clericos, qui  
se adovationibus, sponzionibus, redempturis, idve genus aliis  
rebus dedunt, sacro ordine denudat. Qui enim attributam sibi  
a sacro sancto spiritu dignitatem adeo dehonestant, &, quantum  
in ipsis est, sublimitatem gratia depriment, merito, cùjus bene-  
ficii magnitudinem non sentiunt, eo, ut indigni, privandi judi-  
cantur. Verumtamen quia nunc temporis hominum genus, quam  
ut ad constituta a divinis istis Legislatoribus vivendi rationis

(3. v. L. II. C. de his quæ vii. (4. Adde L. 5. §. 3. ff. de offic. procens. L. 18. ff.  
de offic. præsid.

CONSTIT. LXXXV. (1. Adde Nov. 22. supr. (2. v. Nov. 20. supr.

CONSTIT. LXXXVI. (1. Nov. Justin. 123. c. 6. L. 17. C. de episcop.  
Canon. Apost. 6. 19. 80. (2. d. Can. 6. 19. 80.

Corp. Jur. Civ. TOM. II.

apicem pertingat, imbecillus est: non ipsis (ni fallor) displiceat,  
sunt, quatenus id delictum omnino venia indignum non est, modi-  
cam quamdam ipsi veniam impertiam. Certe idecirco, non quod  
contrarium (quod absit) statuere, sed potius, quod sacram San-  
ctionem sequi, nullasque illis, qui ab illa condemnantur, excus-  
ationum tergiversationes relinqu velimus: decernimus, ut, si  
aut primarii inferioresve Sacerdotes, aut omnino Clericus quis-  
pam, vel præstanto in litibus patrocinio, vel spondendo, vel  
alio simili modo de sui ordinis dignitate detrahant, excommuni-  
centur, & ad aliquod tempus a celebrandis sacris supersedeant.  
Atque ubi ita pro delicto dignam penitentiam egerint, promisso  
facto, se ab humanorum negotiorum commercio pro viribus dein-  
ceps mundos conservaturos, ad sacra tractanda denuo introducan-  
tur: & si iterum iisdem rebus se polluere deprehendantur, om-  
nimodo, ut profani & indigni, a factis functionibus abstineant.

## CONSTIT. LXXXVII.

\* DE ECCLESIASTICORUM ALEA I LUDENTIUM POENA.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Jam vero, qui sacri ordinis homines aleæ vacant, neque hi rem  
medica aliqua poena dignam audent. Quid ita? Nam, cum  
tranquilla mente animoque a contemplandis rebus divinis immo-  
to, quantum humanæ naturæ possibile est, sanno isti bono inha-  
rescere deberent: e contrario ad juveniles lusus deproperant.  
Quos etiam a Sacerdotio succidi, secundum divinum sacrosancto-  
rum Apostolorum 2 Decretum, par est. Verum quoniam id,  
ipsum etiam præscriptum mitigat, ut qui non desistunt, pœnam  
subituros addat: statuimus nos quoque, ut, qui aleæ lusu sa-  
cram sortem contaminant, in Monasteria relegentur: (quam ta-  
men relegationem triennale tempus finiat) & quando delictum sa-  
tis expiatum videbitur, in pristinum statum restituantur. At, si  
rursum in frithio vanæ tempus terere instituant, tamquam piacu-  
lares ex sacrosancto ecclesiastico statu omnino exturbentur, ab  
eoque profligentur.

## CONSTIT. LXXXVIII.

\* CELEBRIBUS QUIBUSDAM IN ECCLESIA VIRIS FESTI

DIES CONSTITUUNTUR. I

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Venerabili sacrosanctorum Apostolorum Decreto 2 (quod pro-  
mulgatum est ad gloriam & honorem sacratissimorum dierum,  
quibus omnium Domino feriamur, & illorum qui horum ipso-  
rum celebrium Legislatorum, aliorumque victoriosorum pagilum,  
qui morte sua impietatem in fugam verterunt, consecrationem  
significant) quum hoc, quod conjugatur, dignum sit, ut nem-  
pe horum divinolouorum virorum etiam, qui post illos in Ecclesia  
claruerunt, luminariumque instar Ecclesiaz firmamentum rebus ges-  
tit atque documentis illustrarunt, memoria solemniter celebretur:  
nos, quod deest, adimplentes, sancimus: Ut horum etiam sacri  
consecrationis dies convenientibus honoribus colantur, quorum  
hæc sunt nomina: Athanasius, incliti ille in principibus Dei Sa-  
cerdotibus nominis: Basilius, regum illud Ecclesiaz decus: Gre-  
gorius, cognomine Theologus: Gregorius, dulcis ille & illustris  
Ecclesiaz fons: Joannes, protus illud spiritus aureum os: unaque  
cum iis Cyrillus 3 & Epiphanius, qui præclaris facinotibus gloria-  
que illis pares sunt.

## CONSTIT. LXXXIX.

\* NE MATRIMONIA CITRA I SACRAM BENEDICTIONEM  
CONFIRMENTUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quemadmodum adoptionem promiscue habitam neglexit veteri-  
tas, quam tametsi sine precibus sacrisque ceremoniis peragi-  
Lege permitteret, non tamen illam se parvi pendere putabant: ita  
& absolutam matrimonii constitutionem, dum id citra jam rece-  
ptam benedictionem iniri sineret, neglexisse videtur. Sed veteri-  
bus istius voluntatis fortasse ratio inveniri possit: a nobis vero  
eum divina gratia ad honestius multo sanctiusque vita institutum

CONST. LXXXVII. (1. L. ult. §. 1. §. 3 ibi. aut cubicare. C. de episc.  
aud. Nov. Justin. 123. c. 10. (2. Canon. Apost. 41. 42.

CONSTIT. LXXXVIII. (1. Adde Nov. Emanuelis Comneni c. 2. inf.  
(2. Fac. Canon. Apost. 7. 36. 52. 65. 68. 70. (3. v. L. 3. §. 3. C. de summa  
Trinit.

CONST. LXXXIX. (1. Adde Nov. Alexii Comneni c. 9. inf.

S. S. 3.

jam res comparatae sunt, neutrum dictorum negligi convenit. Itaque quemadmodum adhibitis sacris deprecationibus adoptionem perfici præcipimus 2: sic sane etiam sacræ benedictionis 3 testimonio matrimonia confirmari jubemus. Adeo ut, si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vita illa consuetudine matrimonii jure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias. Conjugalis vita desiderio teneris? Conjugi Leges serves necesse est. Displicent matrimonii molestia? Cœlebs vivas, neque matrimonium adulteres, neque falso cœlibatus nomine culpam prætexas.

## CONSTIT. XC.

\* UT, QUI TERTIUM I MATRIMONIUM CONTRAHUNT,  
SACRI CANONIS Pœnæ OBNOXII SINT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Oportebat nos, cum divina manu formati, menteque ac ratione prædicti simus, quotundam brutorum præstantia non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehensione vacat, neque a justis vituperationibus libera est: sed tanto obnoxior, quantum brutaliter naturæ rationabilis prudentia antecellit. Oportebat ( inquam ) homines, cum in aliis, tum præcipue in castitate matrimoniali a brutis non vinci. Multa autem brutorum animantium genera, conjugi mortuo, perpetuam viduitatem amplectuntur, alterisque nuptiis priores, velut congesta terra, obtegere nolunt. Verum quoniam hanc imbecillitatem turpe non esse ( quamquam turpissima sit ) existimans natura, primo matrimonio contenta non est, sed nullo pudore tacta ad secundum etiam procedit: quin cum illam hic saltē sistere deberet, non tamen id facit; & quamquam per sacram Legem non liceat, a secundo matrimonio ad tertium prorumpit: haud dubie constitutam in tertium matrimonium pœnam, quod non exerceatur, contemtui habens: idque eo etiam magis, quod civilis 2 Lex, qua nescio de causa, Spiritus pœnam constituentis Decreto non consentiat, sed hos a reprehensione porro liberat, qui post alterum matrimoniale confortum a matrimonii abstinere nolint: idcirco nos, quæ Spiritui placent, sequentes, statuimus, ut qui ad tertium matrimonium pervenerint, pœnæ, quam in ipsis sacer Canon promulgavit, obnoxii sint.

## CONSTIT. XCI.

\* UT CONCUBINAM HABERE NON LICEAT. 1

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Neque minus ea Lex 2, quæ probrose cum concubinis immisceri non erubescientibus id permittendum judicavit, honestatem susque deque habuit. Ne ergo hoc Legislatoris erratum decore nostram Rempublicam afficeremus. Itaque Lex illa in alterum silero. Ab illa enim non modo religionis, verum etiam naturæ injuria secundum divina, Christianisque convenientia præcepta prohibemur. Et quidem si, cum fontem habeas, sobrie inde haurire divino præcepto moneare: qua ratione, cum puras aquas haurire liceat, latum tu mayis? Tum tametsi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes. Ceterum vita consors invenire difficile non est.

## CONSTIT. XCII.

\* DE POENA EJUS, QUI ALIQUEM DEDITA  
OPERA EXCÆCAVIT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Tametsi aliter, quam veteres Leges fariant, de eo, qui alterius violentis manibus oculos effodisset, cum ipse judicio interesset, a nobis sententia lata sit: numquam tamen in Legem illam transformare animus fuit. Non nihil enim misericordia moti ( id quod ipsa res etiam indicat) tunc ita judicavimus: quoniam oculi ei, qui illos amisisset, restitui non possent, eum, qui id damni dedisset, quamquam, qui idem pateretur, dignus esset, in eamdem esse cœxitatem conjiciendum non putavi. Interim tamen tantam pœnam constitui, ut, qui oculos eruit, ejus signa ferat: & cui eruti sunt, in tanta calamitate, adeoque profunda cœxitate,

(2.Nov.24.in pr.supr. (3.Nov.74.sup.Nov.98.inf.

CONST. XC. (1.v.Constantini Porphyrogenetæ Nov.1.c.2.vers.  
ut autem. (2.l.6.C.de secund.nupt.

CONST. XCI. (1.Abtrog.tit. ff. & C.de concubin.l.13.pr. ff.ad leg.  
Jul.de adulteriis, (2. ff. & C.de concubin.

ex laboribus ejus, qui illa ipsum affecit, aliquam consolationem habeat. Verumtamen, licet ita judicatum esset, ex re judicata Legem facere ( quemadmodum dixi ) non tamen animus erat. Sed quoniam, qui inter sacræ nostra officia relatus est (cujus ego qua ratione postulationem rejiciam?) illam sententiam, quod mittit sit, inter Leges collocari petit, quo deinceps, si quando tale quippiam incidat, qualiter in præsenti in injurium pœna constituta est, taliter ea res dijudicetur: postulato paremus, judicialeque Decretum Legis auctoritate donamus. Si quis ergo cujusquam vi sum laſerit, hunc, si unum oculum ademerit, uno similiter eorumdem privari, ac talionis pœnam subire jubemus. Si vero ambo bus oculis maleficas manus injecerit, quoniam hic pœnæ aquilitas, neque, cui uocatum est, profit, (quæ enim in hoc cœco utilitas est, si alius etiam cœcus sit) neque pœnæ obnoxio, tametsi non immerito, tamen acerbius, quam par sit (cum cœcis nihil miserius sit) inferatur: jubemus, ne aquabiliter, sed diverso modo pœna procedat: ita ut & maleficus puniatur, &c, qui Iesus est, utilitatis quiddam sentiat. Hunc autem in modum Legem concepimus: Quicumque amborum oculorum jacturam alicui intulerit, quo sceleris sui notam ferat, ipse uno orbator. Et quoniam scelerata manu mutilari ipsum æquum esset, pro manus amissione besse bonorum suorum multatior: eumque in acerbæ vita consolationem, cui eruti sunt oculi, accipito. Atque sic cœcus quidem inde, quod ad sustentandam vitam sumitus accipiat, modicum quodpiam calamitatis lenimentum sentito: ille vero in facioris sui pœnam, ut dictum est, tum altero oculo, tum bonis privator, pro manuum mutilatione. Et hunc quidem ad modum si reus dives sit, pœna procedito. At, si omnino pauper sit, atque in angustiis vitam agitet, neque quicquam illi, qui ipsius violentia in miseras conjectus est, in compensationem dare posset: similis tum calamitatis & socius, & particeps esto, orbatus que utroque lumine cœcus vivito. Si qui vero in scelere malefico opem tulerint, si quidem manus tei admovetist, simulque oculos effoderint, eundem ad modum & ipsi puniunter: at si, ne una manus in oculos conjicerent, caverint, aliud autem quodpiam auxilium in facinus contulerint: his ad corporis verberationem, cute tenus tonsionem, trientisque bonorum multam pœna sistitor. Qui vero cœxitatis auctores sunt, prædictis pœnis subduntor.

## CONSTIT. XCIII.

\* UT, SI SPONSA EX ALIO GRAVIDA DEPREHENDATUR,  
SPONSALIA RESCINDI POSSINT.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quandoquidem veteres, qui de sponsalibus tractarunt, quod nescio modo, ea de re non absolute præcepunt, sive quod hoc, de quo nunc sancturi sumus, inter causas dissolvendorum sponsaliorum comprehendere noluerint, sive quod tale quiddam, quale in præsentiarum exortum legis promulgationem requirit, tum nondum inciderit; nos, quod in hac parte deest, adimplentes, sponsaliorum tractatum ad justam absolutionem deducimus. Vetus autem Constitutio i sponsalia dirimit, aliis atque aliis de causis: ob diversam videlicet de religione opinionem, &c si alter insania morbo capiatur, & insuper ob nonnullas alias, atque harum utramlibet uter cumque despontatorum haberet, sponsalia divelli jubet. Quod vero nunc in considerationem nostram venit, sive tunc temporis, ut diximus, nondum evenerit, sive Legislatores non eventurum arbitriati sint, sive qua alia causa ejus silentio prætereundi fuerit, inter dictas causas non commemoratur. Est autem istiusmodi: sponsam quandam furtivis complexibus ab alio esse gravidatam, cum illa interim sponsalem per se castimoniam ferret, sponsaliorum tempore compertum est. Atque hoc quidem illud est, quod veteribus Legibus comprehensum non est. Nos igitur, quod desit, adjicientes, decernimus, ut non modo propter diversitatem religionis, neque propter mentis emotionem, aut alias ob causas: verum etiam propter hoc, quo nihil magis matrimonio adversatur, quos sponsaliorum opinio, non veritas copulavit, disjungantur. Quomodo enim vera sponsalia sunt, in quibus nihil verum, neque genuinum conspicitur? ubi meretricium se offert scelus, ubi cause sunt dissidiorum & odii, ubi animorum alienatio: (quæ mala acervat omnia pariter cum peregrino, alienoque semine suscipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus sponsalisque est amor? Quin ut quispiam

CONST. XCIII. (1.l.5.C.de sponsalib. (2.Fac.Nov.31.sup.Nov.  
Just.22.c.15. § 2.Nov.117.c.8. § 4.

alterius fœtum sibi subjiciat, id vero ratio non patitur. Neque item justum est, ut, qui spe honestæ casti matrimonii oblectationis sponsam in domicilium suum recipere constituerit, si illa matrimonii Legibus insultet, & cum 2 aliis lasciviendo, oblectationis spem evanidam ipsi reddat, in meretricia illa facilitate ipsam uxorem agnoscere debeat.

**CONSTITUT. XCIV.**  
\* **LEGIS I, QUÆ DE CONSULATU AGIT,**  
**ABROGATIO. 2**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quoniam nostra Legum repurgatio hunc sibi propositum finem habet, ut non modo illa, quæ subinde rerum statum labefactant, verum etiam, quæ longo tempore silentio obruta, inutilia prorsus &, tanquam propter cariem publico usu non correctata esse videntur, e Legali solo deleat: consequens est, ut &, quæ de Consulatu tractat, Legem 3, tanquam nihil in praesenti ad Rempublicam pertinentem, cum aliis inutilibus Legali corpori eximat. Olim quidem Consularis dignitas veneranda erat, venerandosque, qui ipsam subirent, & magnificentia præstantes effiebat, ac idcirco quibus Consulatum getere obtingeret, pro honore, quem ex dignitate perciperent, remunerari Rempublicam volentes, liberalia promiscuæ plebi munera elargiebantur. Ac initio quidem, quantam munificentiam ficeret, cuiusve arbitrio permittebatur: postmodum autem ad certum modum Decreto Legali circumscribi illam placuit. Atque hoc quidem donec Consularis dignitatis in Republica Majestas floruit, observatum esse apparet. Nunc vero, quum, qui omnia mutat, temporis cursus, hanc etiam Consularem magnificentiam & pristina gloria, & amplitudine in abjectam speciem transformavit: ac vero qui ad illam procedunt, interdum sibi non sufficiet, nedum aliis erogare quicquam possint: illam de Consulatu Legem, quam properea alium silentium occupavit, cum aliis inutilibus, ut dixi, frustra Legalibus Constitutionibus immisitam, Decreto Majestatis nostra illinc eximus.

**CONSTIT. XCV.**  
DE AVULSA TERRÆ CRUSTA. 3  
*Idem Imp. eidem Styliano.*

Antiquoribus, quæque ante natæ sunt, Legibus ortus causam rerum usus præbuit. Legislatores enim, quæ in communem vitam incident, singulatim accurate excutientes, pro illorum natura Leges condunt. Quoniam ergo ex communis vitæ negotiis (quemadmodum diximus) Legibus nascendi occasio existit, & vero propter novam quampiam rei, quæ ad veterem aliquam Legem referri non potest, Lege opus esse videmus, quo videlicet, si alias quoque istiusmodi aliquid contingat, id legitime dijudicari possit: Legem pro conditione rei in rerum naturam producimus. At quæ illa Lex? Quando diversi dominii agri sibi invicem adjacent, & alter superiore loco, alter autem depresso & campestri situs est, si superioris & impendens agri pars aliqua cum arboribus, aut sine his prærupta, subjacentem agrum, qui ruinam exceptit, obtegat, ne simpliciter neque inferioris agri dominus avulsam materiam tanquam suam vindicet: neque superioris dominus, qui avulsionem passus est, de finium, qui ruinam incidentem excepterunt, dominio, illi litem moveat: sed inferioris agri dominus superioris agri domino, si divulsam materiam (sive arboribus confita sit, sive illis vacet) recipere & asportare velit, id permittat: ille autem optionem habeat, utrum receptam, suisque finibus restitutam materiam, quemadmodum solet obtinere: an vero (si illam asportare nolit) prorsus tum a materia, tum a finibus, qui illam excepterunt, abstinere, neque agri, qui divulsa suscepit, domino negotium facessere velit. Quemadmodum enim quum domus sibi invicem adjacent, & alterius structura supereminet, alterius humilis & pressa est, si eminentiorem domum in humilem collabi contingat, dominus ejus aut 2 delapsam materiam recipere, aut, si id nolit, illa prorsus cadere: neque domus, quæ casum exceptit, dominum inquietare debet: ita hic quoque, eo ad consequentiam & exemplum traxo, idem custodiri, & observari convenient.

**CONST. XCIV.** (1. Nov. Just. 105. (2. Adde Nov. 47. Nov. 78. supr. (3. d. Nov. 105.

**CONST. XCV.** (1. l. 9. §. 2. ff. de Agno infido, (2. l. 7. §. ult. l. 9. ff. d. 1.

**CONSTITUT. XCVI.**

\* **DE SEPULERO VIOLATO. 1**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæ delicta sola animi nequitia committuntur, nullaque naturali necessitate excusari possunt; his neque venia tribuenda, neque inferenda penæ effugium concedendum est. Quæ vero non omnino a malitia procedunt, sed mixtam naturæ violentiam habent, his utique ab illis, qui proposita sibi naturæ vi judicare volunt, venia non denegabitur. Ex hac ergo ratione civile, sacramque decretum, dum de sepulcrorum persecutoribus statuunt, sibi mutuo non contradicere conjicio. Civilis namque Lex 2, malam voluntatem tantummodo intuens, negata prorsus venia, id delictum punit: Sacra vero (ad paupertatem, quæ humanam vitam misere vexat, saepe pressos non audenda audere cogit, ni fallor, respiciens) poenam in deprehensorum non constituit. Nos itaque, ad utrumque Decretum nos accommodantes, ac, quoad fieri potest, poenam atque veniam inter se conjugentes, sancimus: ut, qui semel dumtaxat id aut fuerint, leni misericordique sententia feriantur: qui vero ex clementia illa iterum peccandi occasionem rapiunt, nec inde prudentiores facti a malitia desunt, nullis precibus admisis poenam sustineant. Illa autem in dorsi verberatione criniumque tonsione 3 consistet.

**CONSTITUT. XCVII.**

UT IN I CONTESTATIONE LITIS. ET MAGISTRATUM INITIO JURETUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Tametsi Lex, quæ in Magistratum initio 2, litiumque contestatione 3 jurandum præcipit, divino iuslui, qui jusjurandum prorsus evitandum præscribit, aliquo modo contradicere videatur: tamen, si quis verborum mentem perspiciat, non in contrarium illam rogatam esse, sed e diverso jurisjurandi susceptione idem, quod ejus prohibitione sacra Lex, efficere conari deprehendat. Etenim hæc quidem, quo mendacio prorsus viam præcludat, in universum jurare vetat: illa vero, dum hoc ipsum vult, ad fungendum mendacium jusjurandum in auxilium assumit. Quapropter nobis non in verborum formam, sed propositum illorum finem cogitationes adgentibus, non aspernari civile decretum, tanquam cum divino, & Domini nostri mandato pugnet: sed tanquam eodem vergat: illi honorem conservare visum est. Ceteroquin etiam hoc sentimus, Domini jussum non simpliciter ad moderanda communis vitæ negotia, sed ad constituendum illis, qui ad beatam illam sublimitatem ascendere desiderant, in perfectorem Rempublicam gradum esse promulgatum. Cujus sane generis nonnulla etiam alia sunt, ut hoc: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid esuri sitis &, ne reponatis thesauros in terra, &c.* quæ eodem dicta sunt. Hæc enim & similia seorsum perfectioribus demandantur. Ea propter non civili Legi suam vim (quomodo diximus), immunitam conservantes, sancimus, ut, qui Magistratum incepit, itemve contestantur, se veritatem mendacio prælaturos, nec ullo modo recta via declinata, in obliquam fraudis semitam concessuros, jurejurando affirment.

**CONSTITUT. XCVIII.**

\* **DE POENA EUNUCHORUM, SI UXORES DUCANT.**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Legum ortus, tum ut Respublica recte constitutatur, hunc sibi finem proponit, tum interdum naturæ injuria affectæ auxilium offert. Justum est ergo, ut nunc etiam de hac specie, an eunuchos in matrimonium conjungi licet, in questionem ducta, Lex enascatur. Sed priusquam illa proponatur, rem examinare, & an istiusmodi conjunctio matrimonium appellari possit; imo an omnino, quæ in matrimonio peraguntur, (quæ sunt sacrae processæ, sacrificium, carnalis oblectatio ac voluptas, & quæcumque in matrimonio fiunt) fas sit in illa perfici. Sacerdos igitur ad imitationem coelestis a Conditore (qui sexus ad multiplicationem copulavit) pronunciatae benedictionis verba sacra effatur. Humanæ autem ingenii voluptas & latitia ad geniales complexus, & utriusque sexus fœtum respiciens, progressum facit. Sponsorum enim

**CONST. XCVI.** (1. Lib. 47. D. 12. Lib. 9. c. 19. (2. l. 8. l. 9. ff. de sepul. viol. (3. Adde Nov. 105. infr.

**CONST. XCVII.** (1. Nov. 107. infr. Nov. Just. 49. c. 3. l. 2. C. de jur. jur. propter calumn. (2. Nov. 8. c. 7. (3. d. l. 2. d. Nov. 49. c. 3.

**CONST. XCVIII.** (1. Nov. 89. supr.

parentes, cum se viscerum suorum visuros foetum, & sponsi ipsi, dum se in lucem edituros generis successores sperant, multiplici voluptate perfunduntur. At hic nihil tale subest. Quali enim cum oblectatione illi convenienter? Quale sacrificium eorum aggregatio em stabilit? Quum autem illorum coniunctio adeo omni oblectamento vacet, & consecrationis, sacrificiorum, benedictionisque adeo non capax sit, quomodo in ipsis matrimonii appellatio quadrabit? Imo quomodo non aliqua, quæ nefariis debetur, idque ex Lege ipsos poena sequetur? Atque, quod ne ab initio quidem matrimonium vocari possit, breviter ita dictum sit. Sed magis exaltisque rei indignitatem oratio exploret. Rerum Conditor, quia initio marem, & foecinam consociaret, ad largum, quod inde extitum esset, incrementum respiciens, consociationem islam faciebat. Quin & naturæ (quæ tamquam famula, quantum potest, a Conditore tradita præcepta observat) ut in hoc matrimonii consuetudo ineatur, quo subolis procreatio procedat, quoad quidem ab ipsa tale ministerium Conditor praestari velit, propositum est. Si igitur vel hic, quod naturæ Conditor, ipsaque natura voluit, apparer, quod prohibendum ducimus, ne prohibeatur: sin minus, (ut certe nihil istiusmodi est, sed contra omnia, & nulla ad implendam Domini voluntatem vis, & ejus generis quidam, quod natura non agnoscat) quare non omnibus modis prohibebitur? Quod si quis contentionibus gaudens, dicat, si propriei necessitatem eunuchi a conjugio secluduntur, multis etiam aliis conjugium interdici debere, quam non omnes, quicunque in conjugium coeunt, foetificos se praestent: ad contentionem in promptu est responsio, quod, tametsi nullus ex iis foetus gignatur, non tamen in hoc congregati sint, ne quam communi vita utilitatem conjugalis copulæ adferant: quum potius contra procreandorum liberorum desiderio congregatos confiterentur, quos effectum desiderio responsorum opinantes, in eventu spes fecellererit: hic vero ut tale aliquid dici possit, permultum absit, quum, qui ad peregrinam illam commissionem convenerunt, liquido scientes se steriles ac ad gignendum inutiles convenire, naturæ quasi insidiati sint. Ac sane ob hoc duntaxat odio etiam ambo digni sunt: mulier, quod, cum conjugalis consuetudinis cupida foecundo se jungere potuisset, infœcundum & sterilem prætulerit: eunuchus vero, quod, ut in vanum Dominus benedicaret, impotentia sua efficerit. Si quis porro fundum, ex quo alias aliquis fructus metat, valet, & incultum relinquat, an hunc tamquam malum, atque perniciosum odio habebimus, ejusque, si fieri potest, institutum reprimemus: illi vero, qui fundum, ex quo ratione præditum german pulluleat, desolat, inutilem reddit, tamquam nihil indignitatis committat, id facere permittemus? Et sane, quid quisquam dicat? Sed Paulus, inquit, ait, "Matrimonium contrahere, quam urbis satius est: quapropter naturalis fervoris contemplatione coniunctio prohiberi non debet. Sed tu, qui Paulum laudas, ad Pauli verba attende. Matrimonium contrahere, inquit, id est, per matrimoniale commercium cum muliere conjugi: Si igitur tua cum muliere commissio, consociatio matrimonialis, & benedictione, quæ in matrimonium coeuntibus debetur, digna est, matrimonium illam nomina, & observa uxorem: sin ne tantillæ quidem benedictionis unquam capax fueris, (quæ enim aut qualis consecratio in iis, qui simul contra Conditoris decretum, simul contra naturæ Legem conjunguntur, locum habeat?) quid Paulum in approbationem cœlibis tui & peregrini matrimonii pertrahere audes? Ad hoc vero, si qui ipsi naturali & propriam marium potentiam execant, hoc consilio id faciunt (tametsi vitiouse, ac quadam in Deum rebellione id faciant) ne amplius viros se exhibere queant, sed quantum ad libidinis stimulos attinet, prorsus elangescant, cubilisque & fidei, & in quos suscipio non eadat, custodes sint, (quod sane ipse vocis sonus promittit) quomodo in hoc non justam adversum se indignationem eudent, quod non solum inimicam, & naturæ voluntatem capessant: verum etiam illis, qui licet malitiose, quomodo tamen ipsis videretur, utiles illos reddere studio habuerunt, adversari deprehendantur? & quum novum atque peregrinum sexum representent, non tamen se neque initio attributæ naturæ, neque, qua transformati sunt, malitiose atti accommodent? Propterea sancimus, ut, si quis eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, & ipse stupri poenæ obnoxius sit: & qui Sacerdos istiusmodi conjunctionem profanato sacrificio perficere ausus fuerit, sacerdotali dignitate denudetur.

(2. Fac. l. 4. C. de propositi sacri cubic. (3. v. Canon Apost. 21. 22. 23.)

**CONSTIT. XCIX.**  
**UT, QUI JUSJURANDUM DEFERT, PRIOR I  
DE CALUMNIA JURET.**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quæcumque ad recte cavendum spectant, quæcumque ad bones mores pertinent, hæc & singulis & universa Reipub. quæ a me adinvenienda, dummodo possim, aut ab aliis inventa in publicum usum deducenda petant & contendant, in medium pono. Ac idecirco supra alias hæc etiam Lex, quæ eum, qui aliquem ad jurandum adigit, se & nullo dolo malo, neque faceſſendi negotii animo, sed ut rei, cuius ambiguitate ratio ipsius astuat, veritatem cognoscat, jusjurandum exigere, prius jurare jubet: quum velut disperierit: quæ, reviviscat, digna visa est. Quum enim id Decretum recte veteribus placuisse, recentiores ejus cautionem negligentes, delato jurejurando, a quo exigitur, hunc id subiro volunt: qui vero exigit, de eo nihil solliciti sunt. Statuit igitur nostra Majestas, ut secundum & veterum Legislatorum Decretum juramentorum forma servetur: & qui ab adversario auferre jusjurandum conatur, quam fidem ex aliis quærat, de moribus suis prius ipse præstet: quod nempe non dolo, sed necessario & inevitabiliter de causa ad deferendum jusjurandum procedat. Existimo enim, quum ambo ita ad jurandum adgentur, aut dilucidiore in juramentis exituram veritatem, aut hos aliquo modo reprehendos, neque tam prompte alacrique gressu, atque nunc progredi videntur, ad deferendum jusjurandum prodituros.

**CONSTITUT. C.**  
**DE SERVIS, QUI LIBERIS IN MATRIMONIUM CONJUNGUNTUR.**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Eges, quia ex benigno iudicio prognatae sunt, bona sua ordinatione & moderamine iis etiam controversiis, quæ non admordum crebro in res humanas incident, auxilium ferre instituant. At vero, quum tantæ benignitatis sint, quomodo non longe magis eorum, quæ in hominum vita assidue versantur, curam suscipient? Si enim medicus quispiam iis, quæ minus angunt, curam adhibeat, quæ vero magis angunt, negligat: id, quod minus angit, non per peritiam & prudentiam curare videatur? Ea propter Legum dignitati plus Majestatis attribuentes, quod haec tenus ex consuetudine dijudicatum est, de iis nempe, qui ex inæquali fortuna (libera videlicet & servili) amore instigante in matrimonium conjungi contendunt, in Legem includimus, ac sancimus, ut, si homo liber servilis personæ nuptias sectetur, sub duplice hac conditione matrimonium ineatur, ut is aut æqualem cum servili persona, cui per amorem associatur, fortunam suscipiat, aut pretium, quo illa servitute liberata in libertatem perveniat, solvere promittat. Atque hoc quidem, tamquam inæqualis matrimonii arrham quandam, eum, qui consuetudinis societatem cum servili persona init, persolvere oportebit. Stituimus vero etiam, ne dominus hac in re se inhumanius gerant: & si persona, quæ servum in matrimonium delegit, servire malit, utriusque servitus domini & morte terminetur: eaque ubi inciderit, cum liberis & si quos ipsis matrimonium largitum est, dimittantur liberi: sin in servitatem non consentiat, neque in promptu habeat, unde pretium plene persolvat, libertate per vim multetur: sed serviens apud eundem dominum, mercede quotannis binis solidis estimanda, servitatem tot annis daret, quot pacto pretio in plenam sumam deducto dominum satis pro servo accepisse, neque justam causam ad detinendum amplius habere, sunt ostensuri.

**CONSTIT. CL.**  
**DE SERVIS CONJUGIBUS, SI ALTER ILLORUM LIBERTATE DONETUR.**

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Non solum quod inter personam liberam & servilem ab initio contrahitur matrimonium, sed quod communiter in servitute degentes in pari fortuna contraxerunt, hoc etiam, altero illorum forte a domino libertatis donato, altero vero in servitute retento, ad inæqualitatem redactum, ex istiusmodi causa valde contentiosas ambiguities & quæstiones, eo quod Lege dijudicatum non sit, persæpe exfuscatae conspiciuntur. Quum itaque hoc quoque a nostra

**CONST. XCIX.** (1. l. 34. §. 4. l. 37. in fin. ff. de jurejurando. l. 9. C. de reb. cred. (3. Vid. Nov. 107. infr. d. l. 34. §. 4. l. 37. in fin. de jurejur. l. 9. C. de reb. cred.

**CONST. C.** (1. Nov. 101. infr. (2. Fac. l. 3. ff. de liberali causa.

Majestate Lege conceptum, convenienter distingui deberet, hanc, per quam recte dijudicetur, Legem accepit. At vero, quæ illa Lex? Jubemus, ut si servitute liberata persona conjunctioni ejus, quæ in servitute relicta est, acquiescat, secundum formam i de personis liberis, & servilibus matrimonio conjugendis Lege comprehensam, matrimonium indisruptum maneat. Oportet enim, ut aut datam sibi libertatem non usurpet, & æqualiter cum altera, libertate non donata, servitutis jugum subeat, donec 2 extremus vitæ dies domino obveniat: aut, si quidem libertatis dignitatem exuere nolit, pro adjuncta sibi persona pretium se soluturam promittat. Ceterum, si hoc negligeret, & ex libertate sua occasione arrepta, in servitute relictam personam in vitæ suæ statum abripere conetur, non solum non haec arrogantia quicquam efficiat, neque alteri libertatem donandi potestatem habeat: verum etiam ipsa, quam libertatem facta est, hac excidat, rursumque servitutis jugo collum subdat: utpote quæ ingrato animo benignaz domini sui ac beneficæ voluntati injuriam intulerit, ejusque judicium, quod revereri & venerari debebat, tamquam per rebellionem contemnere cogitari.

## C O N S T I T . C H I .

## DE PRÆDIIS MARITIMIS, AD REMORAS I PISCATORIAS CONSTITUENDAS, SEORSUM NON SUFFICIENTIBUS: ET, UT INVITUS ETIAM AD SOCIETATEM ADIGATUR.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Multa cumulatim bona 2 mortalium vita confert prudenter & cum ratione instituta rerum communio. Etenim, qui viribus valet, si cum altero, qui similiter viribus valeat, communiet, longe præstantiores atque utiliores ejus vires fuerint; & dives, si divitias communes faciant, majorem ex divitias voluptatem capiant: denique si paupertas premat, operarum communio consolatione, qua paupertatis acerbitas mitigetur, non indigebit. Verum quum adeo commoda atque utilis in communi vita communio & societas sit, mirabilis quædam hominum animos subiens prævitas, ne dum aliis ad utilitatem impedimento est, verum etiam, qui ipsam fovent, ut rebus suis noceri, quam ut inita cum vicinis societate ipsis aliquid lucri accedat, permittere malint, persuadet. Ac tale quiddam certe de nonnullis audivimus, qui quum maritima prædia habeant, quæ per se non ita multum lucri adferant, cum vicino autem & adjacente prædio communicatione conjuncta, ubiorem utilitatem reddant: societatem inire, neque illa cum vicinis prædiis commiscere (qua ratione ambo aliquid lucrari possent) per malignitatem nolunt: sed contra, seipso etiam damno afficere malunt, dummodo vicino nocturno sint. Verum enim vero tametsi damnum suum tales agnoscere nolint, suaque male administrantes, utilitatem per improbitatem negligant, tamquam immanes belluz, ut propinquos lardant, in sua vulnera prouentes: non tamen istiusmodi malignitatem in communi vita Imperatoria nostra Majestas insolescere patitur: neque, quia illi utili eura digni non sunt, auxilio vacuos relikti sumus. Quare ex parte aliqua ipsis, præcipue vero vicino, quem ista inhumanitas male torquet, prospicientes sanctimus, ut, si istiusmodi prædia mare versus, non adeo singula lata sint, ut septi remoratorii constituendi jus habeant, ejus juris consequendi causa communione conjungantur: quo per istiusmodi communionem domini ex suis possessionibus utilitatem sentire possint: &, si dominorum alter communionem facere nolit, ad illam invitus 3 etiam compellatur. Quum enim, quamvis invitus aliquis beneficii 4 particeps fit, id benignitatem etiam esse persuasum habemus. Hic autem longe major se exerit benignitas, ubi non solum, qui beneficium non agnoscit, illo tamen afficitur: verum etiam, qui illo inique privabitur, id sentit, & percipit.

## C O N S T I T . C H I I .

## DE IIS, QUI DE MARITIMIS PRÆDIIS, AD CONSTITUENDAS REMORAS I PISCATORIAS, SOCIETATEM INEUNT.

In societatibus usitatum est, ut fere qui plus comulit, idem plus lucri seat. 2 Et recte sane negotium instituunt, inter quos ita convenit. Verumtamen de maritimis prædiis societate inita, non ideo recte, cujus prædium latius est, eo cujus arctius est, majus lucrum auferat. Exempli gratia, hujus prædium centum passus latum sit, illius vero longe angustius, si hæc conjungens communio inde utilitatem suppeditet, ut æqualiter, non autem secundum cujusque portionem, proventus inter socios dividatur, rationi consentaneum est. Quid ita? quia in aliis negotiis (in collatione pecuniarum nempe, aut pecorum, aut etiam, si quis ita velit, terrestrium locorum) unaquæque res, quæ in communione coit, per se domino, quantum ejus natura fert, utilis esse possit: in maritimis vero prædiis id similiter se non habeat. Nam non quemadmodum illa, sic quoque maritimi juris portio in se considerata, peculiare lucrum habet. Non enim præda ibidem semper loci consistit, tamquam venatores expectans. Alioquin vero, etiam quod major portio, propter minoris defectum inutilis sit. Quis enim ex re imperfecta usus, aut utilitas? Additio autem minoris quum imperfectionem expletat, quodque per se ad nihil conducat, utile reddat, rationi consentaneum sit, ut utilitatis ex majore portione, qua citra accessionem minoris nihil emolumenti adferat, prævenientis æqualem partem domino suppeditet. Propterea igitur Legem etiam, quæ deinceps juste hoc gubernet, imperatoria nostra Majestas profert. Statuimus vero, ut, si durum maritimarum portionum, quarum altera major, altera vero minor sit ad constituendas remoras piscatorias in communione conjunctio fiat, utriusque portionis domini ex æquo inter se lucrum dividant.

## C O N S T I T . C I V .

## DE PISCATORIIS REMORIS I, INTER QUAS LEGITIMUM INTERSTITIUM

NON EST.

*Idem Imperator eidem Styliano.*

Quandoquidem saxe usu venit, ut, quum legitimo intervallu vicinæ inter se remora pectoriorum non distent, contentiones atque lites exsuscitantur: de his etiam controversis statuimus, ut retis, ubi legitime convictus fuerit, si loci spatium patiatur, eo remoras transferat, ubi tamquam Legis præscriptum despiciat, item subiturus non est: si vero, quo transferat, locus non sit, annorum curriculum observetur, quot in litigioso loco remorarum septum fixum fuerit: &, si actore præsente, nullamque protestationem interponente, decim annos constituerit, immotum eodem in loco permaneat: at, si actor peregre sit, ut septum non moveatur, decennium non sufficiat, sed alterum annumerati oporteat, ut anni omnes viginti sint. Atque hoc quidem præscriptum in profanis obtineat. Ecclesia vero & Monasteria, & si qua alia venerabilis domus, tam denique quæcumque ad fiscum referuntur, quum ipsis ad annum quadrigesimum jura conserventur, dictum tempus despiciunt. Ac, sic quidem de remorarum statione, quæ propter temporis longitudinem moveri non possint, sancientes jubemus, ne actor maritimæ oræ emolumento 2 privetur: tametsi quod tempus elapsum sit, obtinere item non potuerit.

C O N S T I T . C V .  
SI MAGISTRATUS ALIQUIS RES FISCALES FURATUS  
ESSE DEPREHENSUS SIT.

Laudabilis res est legitima castigatio & poena, quod incomposita emendet: & ad mala propensos, ne in illa protuant, vel invitos restringat. Laudabilis est, inquam, quando legibus convenientem servat clementiam, neque hanc excedere argui potest, neque vero castigandi prætextu crudeliorem se exhibet. Quando & pater 2, donec benigne delinquentem filium castigat, simul prudenter, simul castigationis nomine laudandus est: ubi vero, paterno affectu abjecto, non, ut 3 patrem decet, sed atrocem im-

CONSTIT. CHI. (1. Adde Novell. 57. Nov. 102. supr. Nov. 104. inf. (2. L. 6. ff. pro socio v. tamen l. 5. §. 1. ff. cod. §. 2. Inst. de societate.

CONSTIT. CIV. (1. Adde Nov. 57. Nov. 102. Nov. 103 supr. (2. Fac. l. 5. ff. qui potiores.

CONSTIT. CV. (1. l. un. C. de criminis peculatorum. (2. v. L. un. C. de emend. propinq. (3. l. 5. ff. ad leg. Pompej. de parricid.

CONST. CI. (1. Nov. 100. supr. (2. d. Nov. 100.

CONST. CII. (1. Adde Nov. 57. supr. Nov. 103. Nov. 104. inf. (2.

Vide tamen l. 26. ff. de servitute præd. urb. l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. (3.

Restringitur l. 26. §. 4. ff. de condit. indeb. l. ult. C. commun. divid. (4.

v. 4. 69 ff. de reg. jur.

modum pœnam filio infligit, non paterno more castigat, neque quisquam atrocitatem approbat. Ac sane, si Leges revera Republicæ parentes sunt (quemadmodum sunt profecto) requiritur omnino, ut pro ratione delictorum pœnas etiam constituant: nequam vero immanem aliquam, multoque, quam pro delicti modo, graviorem pœnam imponant. Nam, quomodo id legitimæ est correctionis, quomodo inde manantis medicationis, si qui cuiquam mortem intulisse convictus non sit, morte puniatur? Medici sane quidem non præcise integra membra secari jubent, & Lex, quum medicorum commiseratione infinito majorem præ se ferat commiserationem (si quidem corpora tantummodo spectat medicina beneficium, Leges vero tam animo, quam corpori beneficia præstant, ) tantam crudelitatem in eos, quibus mederi vult, exeret? Hæc itaque quum hunc ad modum sese habeant, placuit nostræ Majestati, ut, quæ Lex s' mortem decernit in Magistratum, qui res fiscales furas esse deprehensus sit, neque vero in hunc solum, sed in illos etiam, qui hac in re illi socii fuerint; hæc, tamquam ab humano Legalique ingenio aliena, non amplius in Legalibus Constitutionibus locum habeat, neque nominetur quidem, & velut supervacanea extra Rempublicam projiciatur. Dehinc vero istiusmodi Magistratus pro fiscalis rei furto dignitate expellantur, quæque surcipuerint, hæc in duplum dependant. Qui autem in hoc communicarunt, si divites sint, eidem pœna subdantur: sin pauperes, flagris cæsi, ignominioseque tonsi & exulare jubeantur.

## C O N S T I T . C V I .

DE INDOTATIS MULIERIBUS, QUANTUM MARITIS  
MORTUIS EX IPSORUM BONIS LUCRENTUR. i

**S**i rem, quæ modo aliquo absurdum, æquitatique esse dissentanea apparet, lata de illa Lege ad decentem constitutionem deducamus, operæ pretium nos facturos videatur. At, quæ illa tandem est? Quod quæ mulieres inopes (id quod non rarum est) locupletibus viris matrimonio junguntur, hæc illis defunctis provenientem ex ipsorum bonis portionem (provenit autem, si pauciores quatuor liberi sint, cognominis isti numero portio, quadrans nempe: *sin tot aut plures, quantum quisque illorum habet*) non in perpetuum dominum, neque, ut de illa testari possint: sed ad vitam in usumfructum tantummodo, &c., ut inde vitam sustentent, accipiant: & ipsis mortuis in liberos hujus portionis dominium transferatur: neque illis rebus suis utendi, quomodo velint, potestas concedatur, extra quam, si nulli liberi super sint, quod infortunium illas retum dominio beet: tit haud sciam, utrum mulier ex se fructum videre propter, an vero, ne nascatur aliquis, quo devolvenda ad ipsam portionis domina fiat, execrabunda preceretur. Hanc vero absurditatem Imperatoria nostra Majestas corrigens, sancit, ne 2 istius portionis dominium mulieri auferatur, utique ipsa, quomodo visum sit, de illa statuat, & nihil aliud liberis, quam, quod ex Falcidia ipsis competit, debeatur: tamen, ut priorum nuptiarum illa non obliviscatur, neque inducto altero marito, prioris toro contumeliam inferat: quod si contingat, a nobis attributo domino prorsus excidet: illaque fato funesta liberi domini fient.

## C O N S T I T . C V I I .

UT ACTOR ANTE LITIS CONTESTATIONEM PORRECTO  
LIBELLO JUDICI FIDEM SUAM

## PROBET. i

**S**i quicquid honestum, vitæque humanæ utile est, a senio liberum ac semper vernans permanaret, neque unquam ejus utilitas deficeret: id vero longe præstantissimum foret. Quamobrem, etiam si contingat, (ut sane persæpe contingere solet,) ut eo neglecto utilitas depereat, quorum curæ communis vitæ bona incumbunt: hi certe, ut ne quid, quod de se multum utilitatis in commune diffundat, restituere negligant, sane quam convenientis est. Ea propter & nostra Majestas Legem quamdam rebus humanis multo quondam utilissimam, nunc vero velut senio confectam, &c., ne prorsus iniulus fiat, periclitantem, ad pristinum robur reducens, senii incommodum quasi abradit, & ad primitivum ipsis usum, Reique publica utilitatem renovat. Lex autem de illis, qui actionem movent, agit, ut hi, priusquam ad rei disquisitionem deve-

niatur, de suo instituto Judici fidem faciant, scripto complexi, se nullo & dolo malo adversarium inquietare, neque alio judicio condemnatos esse, neque in præsens scire se nullum ad trinum aditum habere, & maligno consilio negotium facessere, neque denique mendaciis veritatem intervertere conatus esse. Atque hæc quidem Legis præscripta sunt: quæ sane teste sese habent, eaque quæ transgredetur, huic pœna infligebatur. Neque vero huic soli, sed causarum etiam patronos iisdem dicta Lex adjudicabat. Itaque hanc & (quemadmodum dixi) ceu deperditam prorsusque inutiliter redditam, Imperatoria nostra Majestas, tum ad pristinas vires reducit, tum in Rempublicam reditu donat. Ac vero sancimus, ut, qui dehinc in judicium procedere volent, ante introitum, quæ a Lege præscribuntur, exhibeant.

## C O N S T I T . C V I I I .

DE EO, QUI AD PRIMAM DENUNCIATIONEM  
JUDICIO SE NON SISTIT. i

**N**eque vero hoc, tamevis neglectum haec tenus contemtuique habitum sit, incorrectum relinqu fas est, potiusque ut convenienti auxilio potiatur, concevit: utpote quod humanis rebus multam de se utilitatem præbeat. Nos itaque, quemadmodum istratus, qui item instituere volentibus formata præscribit, innovatus, ad consimilem etiam modum hoc innovantes, sancimus, ut, qui semel judiciali citatione in jus vocatus, neque ipse paret, neque alium, qui pro ipso in judicio se offerat, mittit, iterum judicii denunciatione impetratur: cui si similiter non obtemperet, neque tertia denunciatione indignus conseatur: & si quidem, quam tam patienter judiciali clementia ipsum expectet, ipse nihilominus tertiam citationem contemnens, (quum nulla justa causa comparitionem ejus impedit,) neque per se, neque per alium judicio sistat: tunc omnino etiam absens condemnetur, & nequaquam deinceps, vel questionem mouere, vel condemnationem subterfugere ipsi permittatur. Atque hoc in utrumque litigatorem decernimus, sive quis in jus vocatus comparere negligat: sive quis actione instituta, adversarioque in judicium producto, deinde ipsi molestias, protelationesque litis machinans, ab intenta actione do lo malo desistat. Etenim hic quoque, ubi tet a judice citatus non paruerit, absens condemnabitur, ita tamen (quemadmodum dixi) si nulla causa, quæ illum, qui se in judicio non obtulit, verisimiliter purget, ad justam excusationem subsit.

## C O N S T I T . C I X .

NEI INTRA SEPTIMUM ETATIS ANNUM SPONSALIA INEANTUR  
NEQUE 2 ANTE DECIMUM QUINTUM MARIBUS, AUT  
DECIMUM TERTIUM FOEMINIS MATRIMONIUM  
CONSECRETUR.

**Q**uum suum enique rei tempus esse Sapiens tradat, idque communis omnium, qui modo mentis compotes sunt, sententia amplectatur, tum probet: in omni actione tempus observare, longe pulcherrimum fuerit. Quod si fortasse alibi, in contrahendis certe matrimonii negligi non debet. Oportet enim, ut, quæ res in communii vita magis necessaria est, eo prudentius cautiusque ad illam prosedatur. Quam sane nos ob causam secundum veteres &, qui teste de hac re Lege lata statuerunt, sancimus, ne quo modo ante septimum etatis annum sponsalia constituantur, neque matrimonium 4 sponsa duodecim, sponso vero quatuordecim annis minore, sacris ceremoniis confirmantur. Atque hoc quidem, quantum ad communem publicumque Reipublicæ usum attinet, ita veritum sit. Verum si Imperator s' (ut saepe accidit) novam familiam conficiens, & sponsalia, & consecratione peragendam conjunctionem intra præstitutos annos desponsandis Decreto permittat, id nihil Legi adversabitur. Licitum enim est, ut, quibus Deus universi terrarum orbis, tamquam familiæ cujuspiam, administrationem demandavit, hi secus, quam Lex, quæ subditos devincit, præscribat, familias cogant.

(z. Nov. 59. sup. (3. d. Nov. Just. 49. c. 3.

CONSTIT. CVIII. (1. Nov. Justin. 69. c. 3. Ney. 132. c. 3.

CONSTIT. CIX. (1. L. 14. ff. de sponsalib. (2. Nov. 74. sup.

(3. d. L. 14. (4. d. Nov. 74. sup. L. 9. ff. de sponsalib. L. 4. ff. de ritu nupt. (5. v. Nov. Isaaci Angelic. 2. unfr.

(4. Nov. 61. sup. Nov. Just. 82. c. 10. L. 11. pr. ff. de pœnis. (5. L. un. C. de criminis pecul. (6. Nov. 96. in fin. supr.

CONSTIT. CVI. (1. Nov. Just. 53. c. 6. 117. c. 5. (2. Abt. d. c. 5. vers. si autem ibi ut usum solum.

CONSTIT. CVII. (1. Nov. 97. sup. Nov. Just. 42. c. 3.

## C O N S T I T . C X .

**U**T MULIER SOLUTO MATRIMONIO DOTEM SUAM, PROPTERQUE NUPTIAS DONATIONEM, ET RELIQUAM OMNEM MARITI SUBSTANTIAM IN COMMENTARIUM CONSCRIBAT, AC EO PROLATO RESARCIRI SIBI POSTULET, SI QUID DAMNI IN REBUS SUIS A MARITO SE PASSAM DICAT: CITRA COMMENTARIUM AUTEM EVIDENTEM PROBATIONEM NIHIL PETAT, AUT PETENDO ACCIPIAT.

**Q**uum præter alia, quæ sancte a veteribus de matrimonii rebus tractata sunt, huic quoque tractatui satis prospectum sit: ut nempe mulier soluto matrimonio non quoquo modo res maritales percipiendas & detinendas vendicet; sed, si de illis controversia moveatur, confessum post mortem mariti de dote sua & donatione propter nuptias, reliquisque maritalibus facultatibus commentarium publice prius exhibeat: & si quid ex dote a marito consumtum esse appareat, id ex ipsius bonis repetat, quum hoc, inquam, quomodo jus atque æquitas postulat, a veteribus constitutum sit, ac vero nunc ejus nulla ratio habeatur: quoniam veterum prudentia utilitatem conservandam ducimus, illorum functionem renovantes statuimus, ut deinceps omnibus modis de dote, propterque nuptias donatione, & aliis quibuscumque maritalibus rebus a mulieribus commentarius conficiatur: quo si quando ad istiusmodi controversias speciem adigantur, & ad res maritales pro eo, quantum ipsarum res deteriores redditæ sunt, procedere velint: ex eo commentario, aut probatione petitionis æquitas cognoscatur, ut tum recte res maritorum vendicent, quando commentario comprehensa ab illis insumpta esse constabit. Citra commentarii autem testimonium, neque petitio locum inveniat, neque illa contentiose petentes aut audiantur, aut quicquam eorum, quæ petunt, consequantur. Porro commentarii conficiendi tempus statuimus, ut intra tres i menses fiat: & cujusmodi multa a veteribus in tutores constituta est, talis etiam hic procedat.

## C O N S T I T . C X I .

**U**T, SI UXOR I MENTE CAPIATUR, IDQUE NEQUE DOLO MARITI, NEQUE IPSO CONSCIO, ALIORUM MALEFICIO FIAT, ET ULTRA TRES 2 ANNOS ID MALUM DURET MATRIMONIUM DIRIMATUR, ALTERAMQUE UXOREM DUCERE MARI TO LICEAT. 3

*Idem Imp. eidem Styliano.*

**N**ihil adeo ad conversandum genus humanum esse necessarium, atque quod e costa viro attributum est subsidium, cum artifex ille, qui istud condidit, docet, tum ipsa natura divino documento attestatur. Quod cum ita sit, par atque conveniens erat, Legis providentiam, & si qua aliunde cura mortalium rebus succurrit, istiusmodi de re illa commentari & statuere, quæ per omnem vitam illis, qui conjugii nexu uniti sunt, auxilio gaudioque sint: quæ initio propositum conjugii finem confirmant, non vero contra affligant, & miseriam perpetuumque moerorem adferant. Si ergo conjugium tale esse oporteat, (quemadmodum certe oportet,) non sane suscipienda mihi illa Lex 4 videtur, quæ, si post initum matrimonium furore uxori corripiatur, maritum illam perpetuo retinere, & uxoris incommodum semper ferre cogit. Ubi enim approbetur, ubi rationi consentaneum, aut matrimonialis convictus sollicitudine dignum videatur, ut per totam vitam maritus infantienti uxori alligetur, ejusque fœditatibus conficiatur? Si enim nullus adeo truculentus est, ut vel momento quemquam cum feris in eundem locum includere sustineat: quomodo Legis benignitate praedita illa Lex est, quæ perpetuo effera furore conjugi cohabitare maritum jubet? Sed per conjugium, inquietum, in unum corpus coierunt, oportetque membrum alterum alterius morbos perpeti: & divinum Praeceptum est, quos Deus junxit, ne separantur. Praecara quidem hæc & divina: ut pote quæ a Deo pronunciata sint: verum non recte, neque secundum divinum propositum hic in medium adferuntur. Si enim matrimonium talem statum conservaret, qaalem ejus in principio pronuba exhibuisset, quisquis separaret, improbus profecto esset, neque reprehensionem effugeret. Jam vero, quum p̄z furore ne vocem quidem humanam a muliere audias, nedum aliud quidquam eorum, quæ ad oblectamentum & hilaritatem matrimo-

CONST. CX. (1. l. ult. §. 2. C. de jure delib. (2. l. 7. in pr. ff. de adm. & peric. tut.)

CONST. CXI. (1. adde Nov. seq. (2. Nov. Nicephori Botoniata c. 1. (3. v. l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. abrog. l. 16. in fin. ff. de ritu nupt. (4. d. l. 16. in fin. l. 8. ff. de his, qui sui l. 4. ff. de divorciis.

nium largitur, ab illa obtineas, quis adeo acerbum horrendum que matrimonium dirimere nolit? Ea propter sancimus: ut, si quando post initum matrimonium mulier in furorem incidat, ad tres annos infortunium maritus ferat, mœstiamque toleret: & nisi interea temporis ab isto malo illa liberetur, neque ad mentem redeat, tunc matrimonium divellatur, maritusque ab intolerabili illa calamitate exoneretur. Cui Sanctioni hoc adjiciamus, ut furoris causa investigetur, in eamque inquiratur, num forte mariti, aut ipso conscientia familiarium ejus, aliorumve quorumlibet technis atque dolo sit consitus. Quod si sic esse deprehendatur, & quidem maritus & maleficii arguatur: ut hic in Monacum transformatus, nolensque volens Monasterio inclusus, nequitia sua poenas luat, manantique ex sacris Canonibus animæ curationi subjectus sit, decernimus. At si a cognatis ipsis, aut aliunde ipso conscientia noxa orta sit, \*\*\*

## C O N S T I T . C X I I .

**U**T, SI MARITUS I PER MATRIMONII TEMPUS IN FUOREM INCIDAT, INTRA QUINQUENNIUM MATRIMONIUM SOLVI NEQUEAT: EO AUTEM ELAPSO, SI FUROR EUM ADHUC OCCUPET, SOLVI POSSIT.

**V**eterum & Jurisconsultorum sententiam, qua furorem matrimonium impedire, jam initum autem non infirmare constituitur, neque convellere, neque reprehendere est animus, illosque ipsos ad judicium suum, quo ad id decernendum commotis, expendendum remitto: ut tamen illam aut approbem, aut confirmem; quod id mihi approbatione indignum videatur, induci nequeo. Nam quum matrimonium, si furor præveniat, impediatur: at vero, si initio jam matrimonio furor superveniat, illud nihil laeti dicatur, quomodo hinc ad comprobandum illectemur? Si enim hoc in matrimonio spectatur, ut cum utriusque conjugis commodo contrahatur: quomodo, qui ne id ab initio tamquam inutile consistat, suaderet, si, postquam initum erit, eadem calamitas existat, non idem ejus compagem tamquam inutilem dissuadebit? An operam dari oportet, ne quis omnino in mali eiuspam periculum incidat: qui vero jam incidit, hic sine omni ope relinquendus, ipsiusque calamitatum non misereendum est? Quod perinde fit, atque si quis, priusquam morbo quispiam corripiatur, adhibendum remedium existimet; at jam correptum negato remedio mori sinat. Verumtamen id, quod dixi, reprehendere Jurisconsultos non est animus: ut tamen ipsis ad stipuler, permultum abest. Præsertim vero, quum multi alii modi ad solvendum matrimonium constituti sint, quorum nullus cum furoris malo conferri recte possit. Quomodo & namque mariti prodigalitas, aut religionis & diversitas, aut in naturali consuetudine impotentia & imbecilis, aut, si quid aliud his connumeratur, quod ad dissolvendum matrimonium valeat, (cujusmodi est, si servilis conditionis conjugem esse appareat, & si quæ in pactiibus nuptialibus promissa sunt, propter paupertatem plene præstari nequeant,) hæc, inquam, & similia, quibus matrimonia dissolvere Lege tributum est, quomodo tandem cum furoris calamitate comparari possunt? Nos itaque sancimus: ut, si furor post initum matrimonium superveniat, ne intra quinque annos conjuges disjungantur. Etenim quemadmodum, quando per omnem vitam furor duraret, nec tamen matrimonium dirimi posset, id durum & acerbum esse visum est: ita tanto tempore expectare & perseverare necesse est. At si, postquam tantum temporis decurrerit, malum se non remiserit, neque furiosus resipuerit: cum neutrius commodo, aut incommodo conjugium dirimatur. Atque hæc quidem statuimus, non quo superioribus Legislatoribus obrestemus: sed ut, quam subditis curam debemus, adimpleamus. Jam vero, si furor ipso nuptiarum die animadvertisatur, quominus confessum matrimonium tametsi sacro ritu confirmatum sit, dissolvatur, nihil obsterit: perindeque ac si ante nuptias furor animadversus esset, matrimonium in irritum recidet, atque distrahetur. Sed quod post consecrationem disjungendos esse conjuges dicitur, fortasse id non nullis recto iudicio destitui videbitur: quasi posteaquam sacrificio juncti in unum corpus coierunt, non dirimi illos, sed unitos sibi oporteat. Et præsertim quidem quum præstantius membrum, adeoque caput maritus sit: neque præcipua corporis mem-

(5. Adde Nov. Just. 22. c. 15. §. 1.

CONST. CXII. (1. Adde Nov. III. supr. (2. l. 8. ff. de his, qui sui l. 16. in fin. ff. de ritu nupt. (3. v. Nov. 22. c. 15. Nov. 22. c. 8. 2. (4. l. 5. in med. 6. de sponsalib. (5. v. Nov. 22. c. 18.

bra, si morbo aliquo occupentur, amputari soleant. Atqui hæc ratiō, dum a conjunctione stare, atque illam defendere se putat, quid sibi benedictio velit, ignorare videtur. Hæc enim præstantissima quæque connubio largici cogitans, pudicitiam indiscretibilem quodam amoris vinculo conjuges devincens, propagationem generis, & si quid aliud matrimonium jucundum reddit, consecrat. At furor, quoſo, quomodo cum hoc sacrificii proposito conveniat? Ubi enim pudicitia integritas, quando mens seipſam non novit, miserabilisque ignorantia infortunio premittat? Unde vero propagatio generis speretur, quum furor spectaculum solo aspectu horrendum misera uxori miseriorem maritum exhibet, nedum ipsi cum illo consuetudinem habere permittat? Quasi porro amoris vinculo colligentur, quum morbus universum hominem efficerat, & ut quidvis potius, quam homo videatur, efficit? Ac profecto, si forte ex tam infortunato connubio fœtus in lucem prodeat, quum natura fructus rebus, ut plurimum, assimilare soleat: quomodo non hic ipse fœtus humano generi commune detrimentum adferet? Mihi igitur propter hæc etiam, matrimonium post furoris correptionem solvendum esse constitutum justum rationique esse consentaneum, neque ad reprobatum matrimonialis benedictionis, neque ad aliud quodpiam crimen vergere visum est. Quod si quid Sanctionem a crimine non liberet, hic apud se furiosi matrimonii utilitate expensa, quantum momenti judicium suum habeat, cognoscet.

## C O N S T I T. C X I I I .

U T, QUEMADMODUM IN ALIIS STRUCTURIS LEGE CAUTUM EST:  
ITA ETIAM SURDIALIUM AMEULACRORUM STRUCTURÆ,  
QUÆ SOLARIA I APPELLANTUR, DECEM PEDIBUS

## A VICINORUM EDIFICIIS DISTENT.

Quæ veteres de domum & alioqui parietum structuris tractaverunt, perbellè illa se habent, & vicina edificia decem & inter se

CONST. CXII. (1.L.II.I.pen.§.5.C.de adific. privat. (2.Immo  
vide d.l.pen. §.2.

pedibus distare debere, ab iisdem recte constitutum est. Verum quoniam de subdialibus deambulationibus, & (quomodo aliquis fortasse vocet) proscenii spectatoriis, ad apricandi usum & eum quidem solum, excogitata sunt, atque a Sole nomen acceperunt, (solaria enim appellantur,) in Lege nulla mentio facta, nihilque constitutum est. Decreto, quod de illis statuat, quæque subinde, ut verisimile est, de iisdem contentiones emergerunt, dirimat, opus est. Decernimus igitur, ut & in his structuris, solariorum nempe, inter vicinos tantum interstitium servetur, quantum in aliis constitutum est. Etenim quemadmodum in illis conspectus prohibendi causa decem & pedum interstitium statutum est: ita hic quoque merito idem spatum eadem de causa præscribetur; præserum vero, cum conspectus majorem etiam distantiam hic requirete videatur. Nam si, ne se invicem vicini conspiciant, inter alia edificia decem pedum intercapedo relinquatur: hic tanto id magis fieri debet, quanto hujusmodi structura conspectui magis sunt exposita. Constat enim, sedentem quippiam facientem in edibus aliquem, quod multa septorum obſtacula intresint, non ita facile posse conspiciri. In prosceniorum vero, de quibus agitur, operibus, (aut quomodo multi dicere malint) mœnianis, quo minus in quamcumque partem circumspetes nihil obſtet. Ea propter sancimus, ne alitez cuiquam talem structuram fabricari liceat, quam si decem pedibus a vicinorum structuris abstineat. Similiter, si quis edidit suarum fastigium mutans, marmoreas crustas obducat: hie etiam non aliter id faciat, quam si dictum decem pedum interstitium inter se & vicinum relinquat \*\*\* , aut alius quispam modus auxilium ferat: longi temporis præscriptio nempe, si, ex quo opus constitit, a Legibus præfinitum tempus decurrerit, aut pactum asservetur, ex quo quis facultate accepta ad edificandum accesserit: jubemus, ut in suo statu structura maneat, tametsi a vicini structura decem pedibus non distet.

(3. d.LII.

F I N I S C O N S T I T. L E O N I S I M P.

# ZENONIS IMPERATORIS DE NOVIS OPERIBUS C O N S T I T U T I O.

Imperator Cæsar Zeno, pius, Victor, Triumphator, semper maximus & venerandus, Augustus, Adamantio P. Urbis.  
Quandoquidem subditos nostros tam judiciorum quiete fruisci, quam ab externis bellis liberari volumus, æquitatis illos & justitiae identidem admonere est animus. Quapropter etiam præsentem ferimus Legem, quæ sufficenter ostendat, quomodo & tua Magnificentia ad justitiam nos inspirat, & nos, quæ ad tollendas difficultates faciane, prudenter decernamus. Verum ab elegantioribus, Reique publicæ convenientioribus verbis paulum recedentes, vulgo notioribus usum sumus, ne qui in Legem inciderit, adjutore opus habeat in illa intelligenda. Cognovimus igitur ex illis, quæ a Magnificentia tua ad nos relata sunt, propter perpetram interpretantium opiniones, quibusdam locis ambiguam videri sacram illam Legem, quam immortalis nominis Pater noster Leo de iis tulit, qui in inclita hac Urbe edificare vellent: ac jubemus, ut, qui suas ades renovant, nequaquam veterem modum excedant: ne, qui edificant vicinorum luminibus & prospectui, contra quam antea res illæ se habuissent, officiant. Non addiderim tamen id obtinebare, qualemque jus, qui edificat, habeat, quod ex pacto, aut stipulatione peculiariter ipsi competens, veterem formam si velit, mutare permittat. Tunc enim statuimus, ut si paucum aut stipulatio edificantem juvet, illi secundum pacti stipulationis vim edificare liceat: tamen vicinos, quibus pactum adversatur, oblaedere ita videantur. Quia vero Paetus mei Con-

stitutio dicit, eum, qui edificantur est, inter suam & vicini domum duodecim pedum interstitium relinquere oportere, & plus aut minus addit, quod nimurum maximam certitudinem facit, (nam quod huc atque illuc inclinat, & anceps est, id ad tollendam ambiguitatem non idoneum est,) laevanter jubemus, ut inter utramque domum duodecim pedum intercapedo sit, quæ a structura fundamenta contingenti inchoet, atque usque ad summam altitudinem conservetur: tum qui in posterum hoc observabit, ut ei sive novam domum edificare, sive veterem renovare, sive ex incendio collapsam instaurare velit, secundum sacram legislationem in quamcumque velit altitudinem domum suam tollere, & fenestram perspectivas, ut vocantur, & luminis tantummodo causa parandas facere liceat: ut tamen ipsi ex hoc intervallo non permitiatur vicinum privare aspectu in mare recto, neque coacto, quem is quocumque latere domus in proprio stans, aut etiam sedens habet, atque ita quidem habet: ut inter prospicendum se in obliquum inflectere, sibique, ut mare videat, vim inferre non cogatur. De hortis autem & arboribus in priore Legislatione nihil tractatum est, neque quicquam præsenti addetur, neque convenit etiam. Nulli vero edificanturo domum, si in medio angioribus, aut platea duodecim pedibus latior sit, propterea partem plateæ, aut angiorum adimere, & suo edificio applicare fas esto. Non enī quod, quæ ad Republicam pertinet, oblaedere, & edificantibus attribueret

velimus, duodecim pedum interstitium inter domos esse debere constituius: sed ut, ne angustiora inter ædes essent interstitia, & ampliora etiam, si ampliora essent, haberetur, ac essent, ut essent, quum vetus spatum immixti non sinamus, ut Civitati sua jura conserventur. Si vero vetus ædificium ita constitutum erat, ut minus duodecim pedibus inter utramque domum intervallum esset, fas non sit, ut ultra vetarem statum & formam, aut extollatur ædificium, aut fenestra fiant, nisi decem pedum spatum in medio sit. Tunc enim, ut dictum est, prospectitas, quæ olim non fuerint, ædificator facere non poterit. Fenestras autem, luminis dumtaxat causa parandas, faciet ab area sex pedum interstitio in altitudinem, ut tamen luminari fenestra ad dictum sex pedum in altitudinem præscriptum confecta nequaquam in suo ædificio id, quod fictitia area dicitur, facere, & Legem circumvenire audeat. Si enim hoc liceat, rursus luminares fenestra per fictitiam aream prospectiarum usum explebunt, ac vicino incommodabunt: quod fieri prohibemus: ut tamen nusquam ex pactis, aut stipulationibus ædificatoribus competens auxilium, si quidem omnino tale aliquid sit, perimamus. Insuper, quum prior Lex jubeat, ut domos antea incendio consumtas, tametsi alteri prospectus in mare prestringatur, centum pedes in altum attolli liceat: & hanc ambiguitatem tollentes sancimus, ut hoc ipsum obtineat, similiter in exustis ædibus & renovandis, & quæ prius non fuerint, nunc primum exstruendis: ut id posthac etiam in iis, quæ ignis documentum non senserint, sed propter vetustatem, aut etiam quamcumque aliam causam ruinose nutent, observetur. Et a quacumque ædificanda domo in medio controversorum locorum centum pedum sit intervallum, itaque citra ullum impedimentum structura procedat, etiamsi cuiuspiam ad alios pertinentis domus prospectus in mare corrumpatur. Qui vero ex solis coquinis, aut (ut vocantur) latrinis, sive ad naturæ necessitatem secessibus, aut e scala etiam, aut pontibus parietalibus ad transitum solummodo utilibus, aut ex iis denique, quæ *Basēproæ* multi vocant, prospectus in mare est, ei impedimentum adferri liceat, si quis intra centum pedes ædificare velit, dummodo duodecim pedes in medio sint. Atque hæc quidem observari placet, quando pactum alicui non suppetit, quod ædificare permittat. Qui vero ex pacto cum vicino inito ædificant, his in eo, quod utrinque placuit, persistendum est. Tunc enim non observato intervallo, ad pactum structuras tolli sinimus: tam eti illis, qui pacti sunt, aut qui in ipsorum domus successerunt, in maris prospectu noceatur; propterea quod quæ jam ex pactis alicui jura suppeditant, ea per generales Leges perimi non convenient. Insuper placet, ut quæ solaria vocantur, post præsentem Legem non ex solis lignis, & asseribus fiant, sed Romanensium, (quæ vocantur), specie ædificantur: ut etiam inter duo solaria sibi invicem opposita decem pedum intervallum intersit. Quod si propter loci angustiam possibile non sit, alternatim solaria fiant. At si ipse angiportus decem pedibus latior non sit, neutra pars solaria, sive moeniana facere aggrediatur. Et quidem quæ, quo dictum modo est, fiunt, ea jubemus, ut a solo quindecim pedum interstitio in altum distent, & nequaquam ipsis columnæ aut lapides, aut lignæ ad perpendicularm in solo substituantur, aut muri substruantur: quo ne qui subsolaris in altitudine, ut dictum est, factis aer existit, is obstruatur, neque inde angustior angiportus publicusque transitus fiat. Vetamus vero etiam, scalas, quæ a solo incipient, & in solaria ducant, in angiportis fieri: quo videlicet ex cautiore structura, eoque quod non ita inter se solaria propinqua sint, leviora aliquando rarioaque, & quæ facilius restinguantur, ex igne civitati, iisque, qui domos habent, pericula obveniant. Quod si contra nostram Legem solarium aut scala fiat, nedum quod factum est, refringetur, verum etiam ædium dominus decem librarum auri multam sustinebit: & architectus aut redemptor, qui opus informavit, alteras decem auri libras dependet: & artifex, qui fecit, si ob paupertatem multam exsolvere nequeat, ubi in corpore verbera excepterit, ab urbe propeletur. Ad hæc jubemus, ut nulli liceat multis deinceps columnas in publicis partibus a Milio (quod vocatur) usque ad capitulum (quod corruptum reliquit, pœnam sustineat,

vocant) aut domunculis, aut aliis etiam, quæ inter columnas fabricari solent, ex solis asseribus obstruere: sed ut istiusmodi domunculae cum parietibus latitudine plateam versus sex pedes, altitudine vero septem non superent: tum etiam, ut per quatuor omnino columnarum interordinia liberi a porticibus in plateas transitus relinquantur: & istiusmodi domunculae, sive officinæ extrinsecus marmoribus adornentur; quo ornamento sint civitatis, & obtestamento prætereuntibus. Quæ vero in aliis Urbis partibus inter columnas officinæ constituuntur, eas ad eam mensuram, cumque modum confici placet, quam mensuram quemque modum conduere civitati Magnificentia tua judicabit: tamen ut æ qualitas omnibus modis conservetur, ne, quod aliquibus permisum est, aliis prohibeatur. Illud item Lege complecti visum est, ne probi vitæ calumniatorum subdolis commentis oblaudentur. Multi enim invidia, non vero quod injuria afficiantur, iis, qui ædificare volunt, litem texentes, procrastinanda ædificationis necessitatem inferunt, ita, ut qui ædificare cœperit, deinde prohibitus, opusque intermittere coactus, & in judicium tractus, qua pecunia domum se erectum sperasset, eam in litem insumat, & (quod omnium absurdissimum est) ubi vetricem sententiam obtinuit, velut indissolubilibus aliquibus vinculis irretiatur, dum qui novum opus nunciasset, obtenta provocacione vadimonia expectat, & quod ædificationem impedit, ex vicini incommodis voluptatem capit. Jubemus itaque, si in istiusmodi controversiis adversus decreta judicis provocatio instituatur, ut simulque subsidiaria actio, sive scripto comprehensa forma a judice data fuerit, etiam vadimonia non observato, victori una cum visto, aut seorsum soli, a Magnificentia tuæ tribunal ingredi; & adversario, si absit, pro consuetudine vocato sententiam judicis manifestam facere liceat: quo omni dilatione succisa, legitimæ controversiæ imponatur finis neque si forte hiems adsit, aut appropinet, dum longa constitutorum dierum tempora expectentur: qui ædificare voluerit, & non jure prohibitus esset, intolerabilia damna sustineat. Similiter etiam, ut, si quis in tali controversia, Magnificentia tuæ judicio non acquiescens, provocare voluerit, confessim consultatio (quomodo vocatur), fiat, nullaque intermissa dilatione, in sacro nostro palatio, & ipsi, & victori, prout fieri consuevit, sententia consideranda detur. Sciant vero omnes, qui novum opus nunciare ædificatoribus tentant, quod si causa cadat, ipsis, & omnibus damna, quæ obvenerint, & materiarum, quas litis tempore forte corruptas, aut deteriores factas esse constabit, pretium refundent. Qui autem non jure ad ædificandum aggressi fuerint, hi, si judicio superabuntur, isti, qui opus novum nunciaverit, eaque de re judicium illos sustinere coegerit, damna resarcient. Ceterum omnes istiusmodi lites unius Magnificentia tuæ tribunalis sententia dijudicari jubemus: & ne alias quisquam gloriosorum Magistratum istiusmodi controversiam audiat: neque eorum aliqui, qui de istiusmodi controversia contendunt, militia aut fori præscriptione utantur: quo videlicet litigare, aut multas, quas gloriissimi Praefecti urbis, dative ab ipso judicis sententia date jusserrit, perfundere non cogantur. Verum, qui judicio superatus est, per cohortem Magnificentia tuæ exactiæ sustineat, ita, ut in hoc nullus fori præscriptione uti possit. Hoc vero Magnificentia tua provideat, ne, qui operum redemptores aut artifices, ubi opus aliquod inchoarint, id imperfectum relinquent, sed ipsum, qui inchoarit, aut capta mercede perficere opus, aut quod inde ædificatori obvenerit, damnum, quantique ipsius interest opus absolutum non esse illi dare cogat. At si forte pauper sit, qui id delinquit, verberibus casus ejiciatur urbe. Nec vero aliis ejusdem artis, quod ab alio cœptum est, adimplere prohibeatur. Quod sane artifices redemptores adversus ædificatores ausos esse intelleximus: qua re intolerabile damnum ædificatoribus machinantur & inferunt; dum neque ipsi, quod opus facere cœpissent, huic finem imponunt, neque alios id ipsum opus consummare sinunt. Quæ vero cœptum ab alio opus ob hoc ipsum, quod ab alio cœptum sit, absolvere recusat, similem & ipse cum illo, qui opus im-

# IMPERATORIÆ CONSTITUTIONES

Enimundo Boneficio interprete.

## HERACLI.

### 1. De fide.

**Q**uum S. Sophronius tum summo Sacerdotio fungens Hierosolymis, subjectis sibi Sacerdotibus convocatis synodice demonstrasset, eos, qui unam in duabus Christi naturis voluntatem atque energiam affirmarent, palam unam quoque naturam statuere: eique Joannes Papa Romanus assensus esset: Imperator Edictum proponit: Neque singularem, neque duplicem in Christo energiam esse asserendam.

### 2. De Judæis.

**A**nno xix. vere ineunte, Heraclius, Constantinopoli Hierosolyma proficiscitur, & avehit venerabilia ac vivifica crucis ligna votisque Deo persolutis, Patriarcham Zachariam restituit: Omnes porro Hebraeos sancta urbe exigit, Edicto, ne iis intra tertium militare accedere liceret.

### 3. De foro competenti Episcoporum, Clericorum, & Monachorum.

**S**ciás autem Novellam piorum Imperatorum Heraclii & Constantini, quæ statuit, ne Episcopus, vel Clericus, vel Monachus ob pecuniariam criminalem causam apud civilem vel militarem conveniatur Magistratum: sed apud suos Episcopos dumtaxat, aut Metropolitanos, aut Patriarchas. Eadem etiam statuit aurea bulla celeberrimi Imperatoris domini Alexii Comneni, vulgata mense Julio, Indictione iv. anno (ab orbe condito) 6589,

## LEONIS IICONOMACHI.

### 1. De Hebræis & Montanis.

**A**nno sexto Imperator Hebraeos ac Montanos ad Baptismum adegit.

### 2. De patrimoniis templorum urbis Romæ: & de capitatione infantium.

**F**urore percitus majore homo adversus Deum pugnans, tertia Siculi ac Calabri populi parti tributum in singula hominum capita imposuit. Patrimonia quoque templorum Romæ principibus Apostolis consecratorum, (quæ pecunia quotannis antiquitus pendebatur talentorum trium semis) in æarium publicum conferri jussit: & mandavit insipici atque describi infantes, qui nascabantur, ut census iste de singulis capitibus (cephalationem vocant) exigi posset.

### 3. De duabus siliquis praeständis Provinciarum Administratoribus.

**I**mperator, ruina murorum urbis cognita, cives ita est alloquutus: Vos muris urbis reficiendis cum non sitis pares, nos Procuratoribus Provinciarum negotium dedimus, ut ultra constitutum tributum in singula numismata accipient miliarium unum, idque in æarium nostrum conferant; ex quo nos muros condamus. Exinde obtinuit, ut binæ siliquæ seu ceratia Quæstoribus solvantur. Ceratia autem appellantur duodecim folles, sive nummi

## CONSTANTINI CABALLINI.

### De reliquiis & intercessione Sanctorum.

**I**doneum se Antichristi instrumentum præbuit: atque adeo universali Edicto vetuit, ne quis in universum Domini servorum Sancti titulo cohonestaretur: quinimo conspici eorum inventas reliquias jussit, prohibuitque eorum intercessionem postulari, quod eos nihil posse diceret. Atque addidit scelestus, Mariæ quoque virginis intercessionem non esse implorandam; nihil enim eam præstare posse. Quin & Deiparam hanc noluit appellari.

## NICEPHORI.

### 1. De militia inopum, de chartiatico, & sumario, & naucleris, & inventione thesauri: & aliis quibusdam.

**U**t exercitus deprimeret, quid non mali excogitavit adversus Christianos? Primo enim Christianos ex omnibus regionibus in Sthlabinias coegit demigrare, & eorum habitationes divendidit. Quæ res nihil ab hostili captivitate absuit, omnibus in summas angustias conjectis. Secundum maleficium: imperavit, ut egeni militarent, iisque a vicinis arma & stipendia in singulos xviii.

nomismatum darentur, accensus præterea publicus eorum nomine penderetur, id Allelengyum vocabatur, quod alteri pro alteris tributi nomine sponsores essent. Tertio, omnium bona inspici, indeque censum in publicum exigi jussit, nomine chartiatici præterea exactis in singulos duabus siliquis. Quarto, omnes onerum relevations sustulit. Quinta calamitas, quod ab omnibus sacris ædibus, parochiis, pupillis educandis destinata domo, hospitalibus, ad senes fovendos factis ædibus, nec non ab Ecclesiis, atque Monasteriis Imperatoriis, sumarium tributum exigit, ab initio usque sui Imperii. Meliora de eorum bonis sub imperiale curam transferri jubebat, nihilominus tamen tributum de his pendendum iis imponebatur, quæ reliquerat in iis ipsis sacris domibus, ita ut multis tributum duplicaretur: interim habitationibus ita exinanitis, ut inde emigrare cogerentur. Sextum tyrannicum institutum, quod a Magistratibus insipici res eorum jussit, qui ex pauperie subito ad opes pervenissent: ab iisque, veluti qui thesauros invenissent, pecuniam postulari. Septimum: quod emunxit etiam hos pecunia, qui a viginti retro annis ad præsens usque tempus dolium, aut vas aliquod aliquando reperissent: Octavum: qui ab avis vel proavis hereditatem percepissent, et si ea divisa jam inde a viginti annis esset, eos pensionem in publicum conferre coegerit; utque ii, qui extra Abydum mancipia emebant, de singulis duo numismata solverent, maxime Dodecanesum incoleentes. Nonum: naucleros maritima præsertim minoris Asiae inhabitantes, & nunquam agriculturam expertos invitatos coegerit emere prædia, quæ alii ipse eriperat, indeque tributum solvere. Decimum: insignes Constantinopoli naucleros in unum conduxit, iisque duodecim cuique libras auri tradidit, ea lege, ut in singula nomismata usitata nomine quatuor siliquas solverent: cum nihilominus reliqua etiam vangelia navigiorum ab iis penderentur.

### 2. De usura.

Usuras de navigiis captatas (cum interim re fœnebri aliis omnibus interdixisset) aliaque infinita mala excogitavit.

### 3. De vasis sacrī & rebus ecclesiasticis.

Duces exercitum jussit Episcopis & Clericis mancipiorum loco uti pro sua auctoritate in ædes episcopales, & Monasteria divertere, eorumque rebus pro arbitrio abuti. Vituperabat eos qui ab omni ætate Deo aurea vel argentea vasa consecrassent: & res templorum sacras in publicos debere usus converti statuebat.

## LEONIS ARMENII.

### De Praefecto panam adultero non irrogante.

Præter vigilem accuratamque Reipublicæ gubernationem, summa fuit in eo in flagitosos severitas, cuius rei exemplum referam. Exeunte aliquando palatio accessit quidam querens suam sibi uxorem a Senatore quodam raptam: idque facinus se ad Urbis Praefectum detulisse, neque tamen suum jus consecutum. Leo statim mandavit, ut redeunti sibi sisteretur Senator reus tam atrocis flagitiis, & urbis Praefectus. Quo facto, actorem proponere suam causam jussit, qui quum rem ab initio ad finem usque exposuerat, reus convictus probationibus, quum nullum inficiandi criminis locum inveniret, scelus confessus est: & Praefectus causam interrogatus, cur flagitium digna poena ultus non esset, inops excusationis obmutuit. Hunc ergo Imperator statim munere suo exuit, & adulterum ex Legibus puniendum dedidit.

## THEOPHILI.

### 1. De imaginibus.

In eos, qui cultum divinis imaginibus præstarent, nimis durum se atque inhumanum præbuit, omnes, qui ante ipsum fuere tyrannos crudelitate vincere contendens. Nam Michael pater ejus edixerat, ne ulli pictæ imagini, ubicumque ea esset, nomen, Sanctus, imprimeretur: quod id nulli rei præterquam soli Deo congruere putabat. Leo autem & filius ejus Copronymus, omni earum adoratione prorsus interdixerant. Theophilus autem, ne pingi quidem eas coloribus concessit: abjecti dicens animi esse talium rerum admirationem, ipsamque solam spectandam esse veritatem.

## 2. De expulsione Monachorum.

**E**dixerat Theophilus, ne Monachis ullam Urbem intrare liceret: iussitque omni modo eos arceri: atque adeo non tutum erat illis conspicere ea in regione. Quin & Monasteria atque otii causa conditas ades hominibus frequentans, mundana fecit hospitia.

## 3. De Connubio Persarum cum Romanis.

**P**ersa hunc Theophobum, Constantinopoli abducere, Regem que suum facere cupientes, ejus causa aliquoties ad Theophilum Legatos miserant, pacta simul pacis offerentes. Neque tamen persuaserant Imperatori, ut Theophobum ipsis dederet: sed eum potius Patricii dignitate ornatum, sorori sua matrimonio copulavit: Lege etiam lata, quæ Persis conjugiorum cum Romanis licentiam concederet.

## 4. De tonsura capillorum.

**Q**uia vero a natura paucos capitis capillos habebat, & erat recalvaster: ideo edicto edito jussit crines ab omnibus tonderi: neque ab ullo Romano ultra collum demissos gestari: sanitque Edictum, gravi flagrorum supplicio, priscorum Romanorum virtutem revocare studens.

## 5. De pena raptoris equi.

**M**iles quidam manu promptus equum habuit egregium, qui ipsum sâpe ex prælio ineolumem extulerat. Hujus equi amore captus Dux, sub quo is militabat, quum neque pollicitationibus, neque minis impetraret, hominem timiditatis accusatum apud Imperatorem exaucerat. Quum autem Theophilus equum insigni virtute cuperet habere, & missis in omnes partes mandatis talem sibi queri, atque afferri juberet, eam occasionem nactus Dux iste, militi ei equum invito admit, & tamquam suum Imperatori mittit. Post, quum necessitas bellica plures milites requireret, mandatoque Imperatoris omnes, qui arma ferre possent, in exercitum allegarentur: ille etiam miles arma sumit, & in prælio fusis suis, quod equum, a quo servari consueverat, non haberet, occubuit, uxore & liberis relictis. Vidua amissi mariti desiderio accensa, & quod necessaria pupillis supereditare nequibat, justitia Imperatoris fama instigante, Constantinopolim venit: Theophilumque ad templum Blachernense equitantem de more, conspicata mariti suo equo vehi, concitato cursu aggressa frenum equi apprehendit, suum hunc esse vociferans, & non alium, sed ipsum Imperatorem cædi mariti sui causam præbuuisse. Perterritus Imperator manere eam jubet, dum in palatium ipse rediret, ac reversus statim ad se vocat, ac de re tota accuratus inquirit. Quam quum ea a principio ad finem usque recitaret: illico etiam Dux ille sistitur, & muliere jussu Imperatoris occultata, de equo acriter interrogatur: quem quum asseveraret suum fuisse, neque raptu paratum, producitur extra velum mulier, reum de vi peractura. Qua is conspecta diriguit, & aliquamdiu mutus adstinet: tandemque ad se reversus, supplex pedibus Imperatoris se advolvit, lacrimans, ac peccatum confessus. Ergo Imperator ejus facultates viduæ, ejusque liberis hereditatis jure addicit, ipsumque dignitate spoliatum exilio perpetuo damnat. Adeo infensus erat & iis, qui injuste opes parare intenderent.

## B A S I L I I .

1. De judicibus, & foris quibusdam: & de pauperibus  
lites habentibus:

**O**peram dedit, ut iustitia vigeret: & æquo jure inter se viventem subditi, neque a divitibus inopes opprimerentur: propositis passim decretis, quibus iustitia exterminabatur. Juges quoque constituit, amplisque stipendiis, & honoribus auxit, iussos per diem sedere pro tribunali, & litigantium causas dijudicare. Ad eam rem loca iis designavit commoda. Magna-iam, Circum, & Chalceon (æream portam) quam vetustate laborantem, ruinamque minantem, ad hoc instauravit atque adoravit. Alimenta etiam pauperioribus, quibus judicio erat disceptandum, ordinavit: ne inopia coacti litibus renunciarent.

## 2. De notis numerorum.

**A**nimadvertis occasionem maleficii pravis hominibus eo dari, quod numeri, quibus (verbi gratia) semissis, sextans, uncia, & similia designantur, per notas recepta antiquitus consuetudine scriberentur: loco notarum literis uti jussit, quas etiam iustici legere possent: & de suo sumptus in chartas, literas atque scribas ipse suppeditavit.

## LEONIS, ET ALEXANDRI.

## De Judicibus.

**E**xistimo equidem, eoram neminem, qui judicario funguntur munere, eo unquam stuporis, aut inscitæ proruptum, ut aliter quam ex præscripto Legum judicium, sententiamve ferre audeat. Quod si quis in tantam evaserit dementiam, reus peractus eas dependet poenas, quæ Legibus sunt irrogatae. Sin forte nos effugerit, pervigilem tamen illum atque insomnem oculum, cui nihil non, quamlibet occultum sit, patere potest, effugere non poterit. Tametsi id ipsum imprecationibus quoque dirisque execrationibus stabilire, ac firmare non abs re alienum censuimus. Inveniat itaque iste & Deum, & cœlestes omnes atque incorporeas potestates sibi nunquam non adversantes. Immature ex hac vita excidat potius, quam excedat. Incommode insuper afficiatur perpetuis, ipsius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posterritas eo redigatur inopix, ut panem ostiatum quæritet. Atque hæc jure sane optimo, propterea quod Leges, quas liberrimas esse oportuit, servas quodammodo, atque captivas efficit fectorum pravorumque judiciorum.

## CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ.

## 1. De rebellibus, &amp; seditionis anathemate feriendis.

**Q**uæ autem mense Julio, ix. Indict. anno 6534. ab Imp. Domino Const. Porphyrogeneta facta est Novella, sanctissimo quoque Patriarcha domino Alexio, & Synodo assidente, quæ decisionis locum obtinet, ut, quæ ab Imp. & Synodo descripta est, & quæ decernit eos anathematizari, qui defectionem ab Imperatore molliuntur, vel tyrannidem, & ea ratione subiectos adversus eorum dominos incitant, inter alia hoc quoque circa finem expresse definit. Iis, qui ab hoc deinceps tempore insidias sunt machinaturi, vel tumultum excitaturi, anathema. Iis, qui ipsis opem ferunt, & in defectione sunt socii, anathema. Iis, qui consulunt, vel ad hujusmodi incitant, anathema. Iis, qui ipsis ad penitentiam suscipiunt, quum defectionis penitentiam non agant, nec eam relinquunt, anathema.

## 2. De polygamis.

**U**nionis vero decisio, quæ facta est sub Constantino Porphyrogeneta, & Romano, Constantino quidem imperante, sacerdos autem ejus Romano patris Imperatoris dignitatem obtinente anno 6429. Indict. ix. & quæ singulis annis legitur in suggestu, mense Julio, hæc dicit circa finem. Deinceps autem communis sententia ac judicio pronunciamus ex præsenti anno, qui est 6429. Indict. ix. neminem oportere se quarto matrimonio jungere, sed esse omnino rejiciendum: &, si quis ad ejusmodi conjugium venire voluerit, esse omni ecclesiastica congregazione privatum, & ab ipso in sanctum templum ingressu alienum, donec in conjugio permanserit. Hoc enim etiam sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, visum est. Nos vero etiam sententiam apertiorem reddentes, ipsum, ut a Christiana Republica alienum abdicamus. Ac sic quidem de quarto matrimonio. Ut autem, quæ ad alia quoque matrimonia pertinent, decentius constituantur, & non Christiana vita indignam institutionem habeant, de tertio quoque matrimonio definimas, ut non absolute, ac simpliciter, & temere perficiatur. Etenim a Patribus quidem, ut sordes, permisum est, non sic tunc quidem, ut nunc, re citra ullum ruborem imprudenter peracta, & indiscretum contracta: sed quemadmodum si quis, qui in domo in angulum incidit, multas sâpe sordes viderit: nunc autem quando libertatem accepit, & perinde ac si nihil habeat dedecoris & sordis reputatur, recte visum est hoc repurgare, quemadmodum & turpitudinem non in angulum conjectam, sed in ædibus diffusam, nullo modo permittimus, sed repurgamus, & quod molestum est & indecorum, ab eo rejicimus. Quin etiam humanæ cedentes infirmitati, honestatis autem Christianæ vita convenientis curam gerentes, hoc in tertii nuptiis servandum statuimus, ut si quis, qui quadragesimum annum excesserit, & nec naturam reveritus, nec honestæ vitæ, quæ in Christianis requiritur, ullam curam getens, sed sola libidinis perturbatione vinctus, se in tertium matrimonium projecterit, is cum omni diligentia, & observatione sit usque ad quinquennium Sacramenti communionis minime particeps: & nec hoc tempus illi contrahatur. Qui enim post annum XL. sordem in Christi Ecclesia esse vel dici amavit, quod melioris vitæ argumentum præbebit, propter quod tempus Sacramentorum participationis ei contrahatur. Sed & postquam impolluta participatione dignus habitus fuerit, non erit ei permisum in alio tempore ad participationem accedere, quam in sola salutari Christi & Domini nostri resurrectione per præcedentis jejuniorum abstinentiæ repugnationem.

Hæc autem dicimus, quando ex prioribus matrimonii non fuerint liberi, qui iis post quadragesimum annum tertiam uxorem ducere voluerint. Nam si liberos habuerint, eis nullo modo tertium permittitur matrimonium. Est enim valde iniquum temptivæ libidini indulgere, priorum autem matrimoniorum liberis non prospicere, ut sint securi, & a molestia, & a perturbatione remoti, quæ solent evenire hominibus ex filiorum multorum susceptione. Quod si quis triginta annos natus, ex prioribus matrimonii habens liberos, tertia mulieri conjunctus fuerit, is quoque nulla ei venia data, ad quartum usque annum communio nisi Sacramentorum sit expers: quia manifestum est eum sola in temperantia motum, & quod sit carnalis libidinis servus, ad hoc se matrimonium conferre. Et postquam etiam Sacramentorum participatione dignus fuerit habitus, semel quidem in salutari Christi, & Domini nostri resurrectione: secundo autem in dormitione immaculata Domina nostre Deipara: & tertio in natali Christi & Dei nostri, quod in his procedat jejunium & ejus utilitas. Sin autem non sint liberi, (quia liberorum susceptionem desiderare facile est) condonandum, & sola ea poena, quæ ab initio & huc usque servata est, in eum animadverteretur. Hæc etiam de tertio matrimonio. Atqui nec secundum, nec primum extra cautionem adhibitam relinquimus, sed & illa sic contrahi statuimus, ut nullam malam causam habeant, vel ex raptu, vel ex praecedente clandestino concubitu, sed legitime, & ab iis, qui ab ejusmodi inquinamentis & fornicatoria impuritate mundi sunt. Si quis ergo praedictis Constitutionibus neglectis, ad matrimonii consuetudinem primam, vel secundam processerit, dum Christi Ecclesia, quæ est pura, immaculata, & sine ruga, salutaribus examinationibus subicit, nec prius ad divinorum mysteriorum participationem admittit, quam definitum ob fornicationem tempus explevisse cognoverit, nisi forte necessarius est vita excessus urgeat, donec scilicet septimus annus completus fuerit. Sacerdos autem, qui ausus fuerit, præter id, quod statutum est, divina participatione aliquem dignari, de proprio gradu in periculum veniet, eo videlicet, qui præter formam constitutam divina communione dignus est habitus, ad excommunicationem redacto, usque ad septimi anni complementum.

**IMP. D. CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ NOVELLA  
SECUNDA CONSTITUTIO DE VOLUNTARIIS HOMICIDIS,  
SUSCIPiens QUIDEM EOS PRÆTER VIM PRIORIS, PER  
COMMISERATIONEM DAMNANS AUTEM PERPETUO  
EXILIO ET BONORUM SPOLIATIONE.**

Hæc sancire nunc proposuimus, severitatem quidem prioris Constitutionis benigniore ecclesiasticorum decretorum censura commutantes: dissolutæ autem & indulgenti delinquentium disciplinæ, eaque de causa ad imitandum facili, non solum vinculo pœnatum medentes, sed & totius fere substantiæ ad homicidam pertinentis spoliatione, homicidis quidem ipsis de salute, Reipublicæ autem, ne quis simili moveatur affectu, utiliter prospicientes, ut horum utrumque tam jus observetur, & magnum, divinumque Ecclesiarum conserveretur privilegium, quam his cautionibus imitationis frequentia coerceatur. Quod igitur attinet ad vitæ rationem homicidæ, ordinari jubemus, quemadmodum canonica præscripsit disciplina. Nos autem hac Constitutione perpetuo eum damnamus exilio, ab eo loco, in quo scelus perpetratum fuerit. Quo quidem tam punietur reus, quam proginquis occisi non majoris fiet tristitia & doloris augmentum, quod utrumque forsitan non inutile: ne assiduo conspectu ejus, qui dolorem attulit, & defuncti memoria proginqui sponte ad ultionem impulsæ, malum malo sanare contentur, & homicidii duplicit infortunium. Omnino igitur homicida perpetuo illinc exulet, nec unquam eo revertatur, & terram habet, quæ inuste sublati fratris sanguinem hiscendo suscepit. Et hanc primum post ecclesiasticam censuram condemnationem ferat: præterea vero bonorum suorum privationem subeat: nemus applicentur fisco. Nam si uxor sit homicidiu damnato, dotem & propria omnia auferre eam oportet, hoc amplius donationem ante nuptias. Quod si theoteron pacta fuerit, aut aliud quippam, hujus omnino recuperationem & proprietatem habere, si liberi non subsint. Sin autem subsint liberi, eam habere lucrorum nuptiarum usumstructum, observatis omnibus Legum præscriptis: liberi autem in trientem reliquæ substantiæ paternæ succedant. Et si quidem homicida proprio motu, aut consilio, ac approbatione eorum, a quibus examinatur, ad monasticam vitam (prius sceleris purus effectus) transferit, accipiat Monasterium tertiam partem illius substantiæ, reliquo triente reservato uxori, & liberis occisi in parum eorum inforsunii solatum. Quod si liberi non supersint occis-

so, inter uxorem & ascendentess triens ille æqualiter dividatur. Uxore autem relicts liberis præmoriente præferantur ii ascendentibus. Sed si necliberti, nec uxor, nec ascendentess sint occiso, & alii, qui Lege ad successionem vocantur cognati, diligentiam adhibuerint, ut scelus manifestaretur, trientem accipient ejus, qui injuriam intulit. Sin autem solitariam vitam homicida non appetierit, non triens, sed bes juxta prædictam distinctionem parti ejus, qui interfactus est, distribuatur. Præterea nemo eorum, qui hujusmodi sceleris convicti sunt, civile officium, aut aliud quodlibet administret umquam, nec si divinum rescriptum imperaverit: sed omnimodo maneant infames, quibus, ut viverent, tantum benigne concessum est. Ceterum ii omnino tenebuntur, & in numerum Monachorum referuntur: qui malitia exuberantia, præmeditati sunt cædem proximi, & eam, prius habito consilio, in animi sui perniciem & fratri sui necem, instruti patrarent. Nec ad tempus modo poenitentia præstitutum, sed quamdiu vixerint, in Monasterii regula coerceantur. Nam qui aliter sponte interficerint, sed lascivia & impetu iræ ratione carentis, non consulto & præmeditate, ac hujus habita deliberatione arguentur occidisse, perpetuo quidem præter alia omnia subjacentur exilio, non tamen monasticam vitam eligere cogentur.

**2. De laicis, qui intestati moriuntur absque liberis.**

Nec tibi repugnare videatur Novella Imperatoris Domini Constantini Porphyrogennetæ, quæ tractat de iis, qui sine liberis ab intestato moriuntur, non succedere ex linea transversa cognatos, sed tertiam partem bonorum eorum, qui sic moriuntur ad vias animæque salutares elargitiones procedere, cum eo etiam collectis pretiis servorum ejus, qui mortuus est, utpote iis eo ipso liberatis. Hæc enim Novella de laicis loquitur & solis, sicut prædicta Justiniani Novella locum habet in Episcopis, & Clericis, qui ab intestato moriuntur.

**ROMANI SENIORIS.**

**i. De prædiorum acquisitione.**

Novella quoque Cæsaris Romani senioris idem pene statuit: Ne quis ultra conspicuorum & spectabilium Magistrorum, aut Patriciorum, neque eorum, qui imperis, potestatibus aut omnino principalibus dignitatibus insigniti sunt & ornati, neque item civilium, aut militarium, aut delegatorum Magistratum, aut his substitutorum, neque Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum, aut Praefectorum, aut eorum, qui sacris domibus præsunt, aut denique ad alium quemvis honorem seculi provesti sunt, prædiorum aut fundorum possessionem, aut emtione, aut donatione, aut alio quovis modo adeat. Eos enim, qui post præsentem Constitutionem, ejusmodi quipiam moliri & aggredi ausi fuerint, inde jubemus absque sua pecunia restituzione detrudi, propriisque laboribus, ac sumtibus fraudari, quos ad rem ornandam & pretiosiorum faciendam contulerunt, atque ipsam prædii estimationem, si quidem conspicui viri sint, & illustres, qui hoc admisserunt, fisco applicari: si abjectiores sint, & omnino absque ulla pretii restituzione expelli, & meritis insuper poenis castigari.

**2. De rescindenda venditione.**

Novella quoque Cæsaris Romani senioris ita habet: si deprehensum & exploratum fuerit eos, qui post a se peractam venditionem, si modo testibus peracta comprobetur, ad judicium provocarunt, intra quadriennium id fecisse, ac conquestos esse, citra controversiam his succurritur. Succurritur autem, non ut vendita suburbana recipiant: sed ut, si quidem emtor quod reliquum est, justi pretii expletioni i præstare voluerit, hoc ei facere liceat. Atque ita justum rei pretium supplens ac persolvens, ipsa prædabis retineat; & qui de facta venditione queruntur, justum pretium, quanti prædium ipsum estimatur, accipient. Sin nolit emtor justam rei estimationem completere, pecuniam, quam ab iis, qui cum eo expostulant, accepit, una cum ejus causis ac usuris restituat: & e prædio decedat venditori restituendo.

**3. De prelatione.**

Si qui communes ædes, fundum, vineam, aut quamvis aliam rem soi habentes, aut aliter quam communionis jure propinquis prædiis aliqua ex parte permixti aut adjacentes, consortes, vel alioquin vicini & proximi sua alienare, aut venditionis, aut emphyteuseos, aut locationis nomine voluerint, ne prius hec alii cuiquam alienanto, quam testatum iis fecerint, quos in prærogativa κατὰ ταξιδίον, hoc est, ordine, succedentes dicimus. Ut primi, inquam, vocentur permixtim quoquo gradu juncti cognati,

aut quibuscum aliquid est commune, ut ædes, fundus, vinea, aut quævis alia res. Ejusmodi siquidem cognatos Lex præfert. Ubi vero cognati communionem in re non habent, tum anteposuntur, qui aliquid in ea communitatis habent. Quibus ii succedunt, qui tantum permixti sunt et si omni ex parte ei, qui rem alienat, sint externi: deinceps & simul juncti consortes. Postremo, qui simpliciter aliqua ex parte rei alienanda uniti sunt, & vicini. Consortes porro appellamus, quotquot sub eodem censore præscripti sunt, & in censum publicum relati, etiam si propria tributa diversis in locis pennisent. Enimvero cum multi finibus prædii alienandi circumquaque adjacent, suo cuique ordine testationis prærogativa tribuatur, ut renuentibus forte iis, qui jure præferuntur, qui deinceps vocantur, contractum, si velint, iniire queant. Quod si æqualibus omnibus subnixi reperiantur privilegiis, ut nihil omnino sibi invicem in hujusmodi vocatione præjudicent, eadem quoque rursus fiat denunciatio, ut intra triginta dies justum pretium, quod verus emtor haud segniter præstiturus esset, si absque ulla mora solventes pro rata parte vel sponte sua, vel alicuius opera & arbitratu distribuant. Quotquot autem intra præfixum tempus sibi delatam pretii partem non præstiterint, jus prærogativæ amittent: nisi si quis forte eorum captivus est, deportatus aut relegatus: aut ob publica privatave negotia extra dolum absens: aut etiam nondum annum ætatis xxv. explevit. Horum enim, qui administranda negotia suscepserunt, intra iv. menses, cum præsentibus novis emtoribus pro rata portione concurrunt, pretium explentes, quod a minoribus subducta ratione est præstandum, una cum legitimis usuris & necessariis sumtibus. Externos vero emtores in totum summovent, pretium cum usuris ac sumtibus ipsis restitueates. Quin & in universitate villarum, quæ dicuntur, aut prædiolorum (universitatis autem sunt, qui ex eadom sunt villa) longe satius est, ut earum habitatores sibi mutuo præferantur. Quod si omnes, quibus in rei distractione prærogativæ jussatur, recusatint, vel eos exploratum fuerit, ei, qui rem alienat, & ejus familia aut pecuniarii damni, seu multæ auctores fuisse, aut ejus corpori ac vita insidias struxisse, gravissimamque infamiam peperisse, idque non fortuito, sed de industria, aut per se, aut per suos, hos invito eo, qui talia sit passus, nulla ratione volumus ad ipsius prædia aspirare. Post decennium tamen silentio peractum, adversus eos, qui quovis modo contraxerint, quive donatione aut testamento quippiam fuerint consecuti, nulla omnino ab iis, qui dictis ex causis prærogativæ jus habent, imo nec a fisco controversia moveatur. Occasione tamen dotis, aut propter nuptias donationis, ex testamento vel permutatione, vel transactione & propinquis & externis omnibus alienent, absque simulatione nimirum a dolo. Si vero, qui in fraudem nostræ Constitutionis alienant, aliud quid facere ausi fuerint, & aliud aperte simulare, si quidem post jusjurandum convicti fuerint, tam ipsi, quam qui ita dolose cum ipsis contraxerunt, & perjurii poenas dabunt, & hi quidem prædio, illi vero clam soluto pretio excedent, & utraque fisco inferentur, ut a fisco propinquis venudentur. Sin vero ante jusjurandum deprehensi fuerint, tale quippiam egisse, & quod actum fuerit, erit irritum, & qui semel fundum præter juris formulam alienare conatus est, vel invititus postea cogetur iis vendere, quibus us prærogativæ concessimus. Et hæc quidem ita de his statuenda.

## N I C E P H O R I P H O C E .

## 1. De tetartero, quod est numismatis genus.

Numisma attenuavit, tetartero excogitato. Cumque eo modo duplex esset nummus, pensiones publicæ graviorem exigebant, minor in sumtibus faciendis dissipabatur. Cumque esset 2 Lege & consuetudine receptum, ut omnes nummi imagine Imperatoris alicuius notati, modo ponderi nihil decederet, idem valerent: ipse sua insignes imagine præferri, aliorum depressis pretiis voluit; eaque re haud leviter subditis in permutationibus incommodavit.

## 2. De eodem &amp; de hexagio.

Apparet eumdem avaritiæ quoque sordibus fuisse contaminatum. Nam cum usque ad eum quodvis numisma hexagium penderet, ille tetarterum excogitavit pondere imminuto.

## 3. De prælatione.

Ne quod privilegium prætendant pauperes, dum distrahitur præmium a potentioribus, neque ex consilio, neque ex communicatione, licet milites vel etiam cives esse deprehendantur: sed in hoc rutsum succedat persona quæpiam potestate prædicta, quæ scilicet pauperum hinc inde adjacentium tranquillitatem ac

(2.L.1.C. de veteris numismatis potestate.

Corp. Jur. Civ. TOM. II.

utilitatem possit tueri. Et potentes cum potentioribus dumtaxat emtiones contrahere volumus: milites vero & pauperes, cum iis, qui parem secum sortiti sunt ordinem ac locum.

## 4. Ne Ecclesiæ prædiis locupletentur, &amp; ne sine sententia

Principis Episcopus creetur.

Præterea ad officium assidue veniens, graviter subditos affixit, non modo pensionum & tributorum omnigenis rationibus, sed & rapinis intollerabilibus. Ad hæc partem quamdam eorum, quæ Senatoribus solebant Imperatores largiri donorum, in fisco retinuit, causatus sibi ad bella gerenda deesse pecuniam. Neque hoc tanum, sed & donationes Monasteriis, atque templis relietas, a quibusdam piis Imperatoribus, prorsus abolevit, Lege etiam lata, ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bonis: causatus, Episcopos male prodigere ea, quæ pauperibus darentur, interim militibus deficientibus. Id vero omnium gravissimum, quod Legem tulit, cui & Episcopi quidam leves atque adulatores subscriperunt: ne Imperatoris injussu ullus creareetur Episcopus: & mortuo aliquo Episcopo aliquem suorum submisit, qui definitos faceret sumtus; ipse, quod erat de redditibus reliquum accepit.

## 5. Ne de novo construatur Monasterium, aut venerabilis alia domus.

Imperatoris autem Domini Nicephori Phocæ Novella decernit, non esse de novo construenda Monasteria, vel Xenodochia, vel Nosocomia, vel alia sancta & religiosa loca, sed eorum, quæ sunt, curam geri oportere, & hæc expresse in fine adjecit. Quarre ab hoc deinceps tempore, quod est septima indictionis initium, nemini licet, nec loca, nec agros ad Monasteria, vel Gerocomia, vel Xenodochia transmittere, sed neque ad Metropolis vel ad Episcopatum; neque enim illis est hoc conduibile. Si quæ autem prædictæ & religiosæ domus, vel Episcopatus & Monasteria, adeo malam administrationem & providentiam sortitur sunt, ut locis privatae destitutæque sint, iis sententia & examinatione Imperatoria, eorum, quæ sufficiunt, acquisitione non prohibebitur. Cellas autem, & quæ appellantur laurae in desertis ædificare, quæ non ad possessiones & agros alienos extenduntur, sed soli monastico ambitui seorsum præstiuuntur, tantum abest, ut volentibus prohibeamus, ut etiam in magna laude ponamus.

## B A S I L I I P O R P H Y R O G E N N E T .

## 1. De possessione Ecclesiarum &amp; venerabilium domorum.

Quam quidem novellam Porphyrogennetam Dominus Basilius junior sua Novella sustulit, mense Aprili edita indict. 1. anno 6495. quæ & hæc expresse continet: Imperium nostrum, quod a Deo profectum est, cum a Monachis, quorum pietas & virtus est testata, & a multis aliis Legem de Dei Ecclesiis & sanctis domibus, vel potius contra Dei Ecclesiis & sanctas eorum domos a domino Nicephoro, qui Imperium invasit, conditam præsentium malorum causam fuisse, & radicem, & universalis hujus subversionis & confusionis, (ut, quæ ad injuriam & contumeliam non solum Ecclesiarum & sanctarum domorum, sed etiam Dei ipsius facta sit,) intellexisset, & maxime cum id re ipsa expetuum esset, ex quo enim hæc Lex est observata, nihil boni penitus in kodiernum usque diem vitæ nostra occurrit; sed contra, nullum penitus calamitatis genus defuit. Statuit per præsentem Auream Bullam, ut Lex prædicta ab hoc præsentie die cesseret, & deinceps infirma & irrita permaneat, & locum habeant, & in usu sint, quæ de Dei Ecclesiis & sanctis & religiosis domibus factæ sunt Leges.

## 2. De allelengyo communis census penitiorum.

Constituit tributum pauperum, qui solvendo non essent a locupletibus exigendum esse: quod allelengyum vocabatur.

## 3. De prædiis potentiorum.

Lege etiam sanxit, ne potentiores multiplicandis prædiis augescerent. Quamquam eadem etiam ab ayo ejus Constantino, hujusque Socero Romano lata fuit.

## 4. De præscriptione XL. annorum.

Ceterum Novella Lex Cæsarialis Basiliæ Porphyrogennetæ in his quadraginta annorum præscriptionem tollit. Neque rutsum inopes, si potentiorum injuriis oppressi fuerint, quadraginta annorum præscriptione repelli: neque illas prorsus valere præscriptions, et si aureis bullis insertæ sint, quæ injuste & fraudulenter induxerint. Neque ipsum etiam fiscum ullo temporis excludi intervallo, sed ab augusto Principe jus suum revocare, probationesque suas ad illud recuperandum affere.

## ROMANI ARGYRI.

*De reditu magna Ecclesiae, & de allelengyo.*

Initio Imperii bonis ac laudabilibus institutis subditos demeritus est. Principium fecit beneficentia in religionem. Cum enim sciret magna Ecclesia reditus non sufficere, ut qui superioribus temporibus dispensator fuisset ejus, & aliarum, quibus hujus Clerus de more inserviebat, LXXX. auri libras quotannis ex arario imperatorio ei pendi jussit. Abolevit etiam allelengyam, quod Constantinus erat sublatus, nisi mors eum anteverisset.

## Z O A.

*De Magistratibus non vendendis*

Imperio Zoa restituto, quæ sororem Theodoram quantumvis invita, consortem habebat, statim & honorum gradibus Senatorio ordini & largitionibus multitudini gratiæ sunt actæ, ac Reipublicæ quanta omnino poterat cura gesta. Nam in omnes Imperii partes literæ & Edicta dimittebantur, quæ & Magistratus vendi, (quod erat ante factitatum) prohiberent: & omnia iniustiæ genera de medio tolli juberent.

## MICHAELIS.

*De prætorio & velamine capitis & de publicis curatoribus.*

Cum autem esset admodum senex, multaque antiqua recordatur, multis veterum consuetudinum reducere intendit, nihil vel Imperio, vel Republicæ profuturas. Nam Prætorium expurgari jussit, & civium capita non literis, ut nunc, sed byssinis pileis, magnis lineis purpureis intertextis, tegi. Et procuratores publicos non ex Senatu delegit, sed alios scribarum e numero velocium, in singulis archivis educatorum: & id genus alia multa.

## ISAACI COMNENI.

*De Canonico, & consuetudinibus, quæ dantur pro ordinatione.*

De Canonico autem, & consuetudinibus, quæ pro ordinazione dantur, hucusque vim habet Aurea Bulla invicti Imperatoris Domini Isaaci Comneni, quæ partim ita habet: statuit vero Imperatoria mea Majestas, ut etiam in ordinatione Sacerdotum, & Canonico vetus forma auctoritatem obtineat, & nihil in ordinatione Episcopus, qui ordinat, amplius accipiat, quam præstantioris monete Imperatoria mea Majestatis, septem aureos nummos dumtaxat: unum videlicet, quando facit simplicem Papam, sive Lectorem; tres quando ordinat Diaconum: alteros tres quando Sacerdotem, sive Presbyterum perficit. Sic similiter pro Canonice a vico triginta infumibula habente, similem aureum unum, argenteos duos, arietem unum, ordei modios sex, vini mensuras sex, farinx modios sex, gallinas tringinta: a vico vero, qui viginti infumibula habet, aurei bessem, pro duobus argenteis argenteum, agnum dimidiatum, ordei modios quatuor, vini mensuras quatuor, & gallinas viginti: a vico denique, qui decem infumibula habet, argenteos quinque, agnellum unum, ordei modios duos, vini mensuras duas, farinx modios duos, & gallinas decem: quemadmodum in veterum Actuariorum sigillis præscripta sunt. Atque provincialium conveniens ordinatio Imperatoria mea Majestati placuit. Cum hac vero Aurea formalis Bulla, confecta est etiam xv. mensis Januarii, Indictione x a sanctissimo illo Patriarcha Domino Nicolao Synodalibus annotatio, quæ jubet, ut secundum hanc auream Bullam Canonica, ac pro ordinatione dentur.

## MICHAELIS.

*De prælatione in antichresi.*

Potior est propinquus externo in rerum soli antichresi.

## NICEPHORI BOTONIATÆ.

*1. De solutione matrimonii ob furorem conjugis.*

At vero C. & CI. Imperatoris Domini Leonis Philosophi Novellæ statuunt, ut viro triennium duret, neque intra illud, postquam uxor furere coepit, conjugium dirimat: mulier autem, nisi quinquennium præterierit, a furente marito non separetur. Legas quoque Novellam Imperatoris D. Nicephori Botoniæ, quæ de furentibus conjugibus eadem disserit.

*2. De relevatione fiscalium debitorum.*

Botoniates cum ad imperium pervenisset, a Patriarcha, regali fascia tertio die coronatur, ac primum illud liberalitatis specimen edidit, ut quidquid fisco deberetur, id universum circa exceptionem aboleret, ac novas tabulas magnifico Edicto institueret.

## ALEXII COMNENI.

*1. De ætate ienitium officia.*

De iis autem, qui in imperfecta ætate officia, aut dignitates suscipiunt, repositum est in publicis secretis Edictum D. Alexii Comneni, semper celebrandi Imperatoris: illud etiam cognoscere. Habet ita ad verbum: multi ubi ob denunciatam Reip. aliquam utilitatem, aut per ambitionem, qualemcumque dignitatem vel officium, aut capere, aut permutare, aut vendere peccarent: ea in parvos pueros transferunt. Ne igitur hoc fiat, neque tales imponere aut decipere conspiciantur, statuit Imperatoria mea Majestas, ut quicumque dignitatem vel officium, sive propter denunciationem, sive propter benevolentiam aliquam, sive per commutationem, sive in manus & per largitionem, aut dum animum nostrum oblectamus, ab Imperatoria mea Majestate accepterit: ne quempiam, qui honoretur, viginti annis minorem admittat. Quin omnes quicumque per easdem causas, aut dignitatem, aut officium accipiunt, majores viginti annis sunt. Quando vero Imperatoria mea Majestas non propter talam causam, sed nulla causa interveniente honoraverit quempiam, aut officium donaverit, tametsi honoratus viginti annis minor fuerit, citra dubitationem tamen illi infernuntur. Reponatur igitur præsens hæc tabella inter chartas secretorum nostrorum, ad ostendendam imperandi gubernandique Imperatoria meæ Majestatis rationem, ut hoc modo deinceps in omne futurum tempus efficaciam habeat. Debet autem in ejus, qui citra medium honoratur, tabula adjici: infernitor. Non impeditur per Edictum de iis, qui minores viginti annis honorantur, ab Imperatoria mea Majestate factum. Ac vero esto hoc signum eorum, qui (ut dictum est) citra causam medium honorantur, tamquam Imperatoria mea Majestas hoc sciverit. Mense Januario, indictione quinta, per Imperatorem.

*2. De nuptiis amitæ & fratri filiæ cum filio fratri & patruo.*

Exstat jussio semper celebrandi Imperatoris Domini Alexii Comneni, ad suggestionem proedri illius & hetæriarchi Bardæ Zeri, mense Martio, indictione decimaquinta edita, & ad illius temporis sanctiss. Patriarcham Dominum Nicholaum, ac sanctam divinamque Synodus missa, quæ amitam & fratri filiam cum patruo & fratri filio, tametsi sexti gradus cognitionem ex affinitate obtineant, citra impedimentum jungi statuit. Quam junctionem Synodali subnotatione, quæ in memorati Patriarchæ Domini Nicolai Codice reperiretur, insertam legas.

*3. De sponsalibus Novella celebrandi Imperatoris Domini Alexii Comneni, emissâ mense Julio, Indictione septima,*

*anni (ab orbe condito) 6592.*

Sponsarium nuptiarumque terminos vetuta superiorisque ætatis Legislatio longe separavit: horumque intervallum magis quam Myorum & Phrygum proverbium notum fecit. Verum quæ sub felicis memoria Patriarcha Domino Joanne Xiphilino Synodi opera confecta est subnotatio (cui etiam perpetuo inter Imperatores celebrandum Dominum Nicephorum Boloniatem, per Aurea Bullæ scripturam, auctoritatē largitum esse compertum est) quæ multum inter se distabant, in unum contraxisse cernitur. Qua ratione quod synodica decisio de nuptiis promulgaret, hoc ille disertis verbis de sponsalibus censem, duobus fratribus duos patrules sponsare non permittens. Atque promiscua quidem plebs indiscriminatim rem aggrediens, & se in synodalis statuti sensum mergere prorsus nequiens, sine ratione, quidnam sponsalia essent, fingebat, neque quo pacto cautius firmarentur, exakte constituere valebat. Interdum etiam mentis suæ inconsiderantiam adversus absolutam Ecclesiæ normam venditabat. Verum Imperatoria nostra Majestatis pietas peritus considerationem auspicata, ubi apparentem contrarietatem recte dijudicasset, per præsentem Legislationem, optimam adinvenit consonantiam. Postea quam enim vetus Lex sponsalia in sola contrahentium voluntate constituit, nihilque amplius quam de consensu, instrumentis, atque sponsalitiis arrhis elaborat: nobis autem vitæ negotia ad longe ornatus, magisque sacrum divina gratia devenerunt incrementum, atque hinc non nuptia solum, verum etiam sponsalia peragendam sacram benedictionem sibi conjunctam habent: ac certum tempus primæ conjugum conjunctioni per recentiorem sapientissimi Imperatoris Domini Leonis Sanctionem: est promulgatum (in maribus nempe annus 4 ætatis decimus quintus, in fæminis decimus tertius: quod profecto tempus ad perfectam conjugum cohabitationem vetus Lex sufficiens esse jussit) necessarium esse Potentia nostra judicavit, ut

per præsens oraculum firmiter definiat, proprie illa esse sponsalia, & revera secundum exactam synodalis normam considerationem cum nuptiis equipollere, quæcumque tempus, quod Imperatoris D. Leonis sanctio determinavit, integrum sibi habuerunt, & sacra benedictio consecuta est, atque in illis synodalis decisionis observationem valere debere. Si namque contrahentium alteram partem morte forte aliove fortunæ casu, aut sententiæ mutatione recedere, ad aliudque vitæ consortium transferri contingat: non exiguae hic absurditatis tractus existet, si præambulæ nuptiarum preces in sponsalibus peractæ, tamquam vanum aliquid & temere accumulatum reputentur, & indiscretim ea res intelligatur, quasi Deus per sponsalia inter conjungendas personas introductus non esset. Hoc autem commemoratus celebris Imperator recte sequutus, sancti universalique sexti Concilii Canonem, qui sponsam, dum sponsus adhuc in vivis est, cum alio in matrimonii consuetudinem coire vetuit, adulterium rem manifeste statuens, cum aperta veteris Legis contrarietate pulchre conciliavit. Quoniam post benedictionem sponsis factam, separatio ea secundum ejus vocem justorum sponsaliorum est solutio. Quod si sponsalia quædam secundum malorum consuetudinem congruenter jam contracta fuerint, & instrumenta confecta sint, nondum autem statutum tempus, quo Christianis debita benedictio fieri consuevit, advenerit, neque solemnes super despontatis preces per Sacerdotem pronuntiatæ fuerint: hæc sponsalia quantum ad exactam Ecclesiæ dissertationem, neque esse, neque dici justa possunt: neque vero adversus hæc synodalis subnotatio efficaciam habet, sed tamquam hominum placita simpliciter per stipulationes confirmata, auctoritatem ferant, vetusque Lægislatio in illis firmitatem obtinet. Hoc enim pacto cum vetusta Lex, quæ ante de sponsalibus promulgata est, quæ integræ conservabitur: tum Synodi judicium secundum hic (positam) observationem & intellectum, & interpretatum, intactum atque intentatum custodietur. Quandoquidem vero hæc ita sunt explicata & hæc vera sponsalia designata sunt, quæ cum sacra benedictione, statutoque tempore petacta esse noscuntur: quæ vero secundum antiquorem Legislationem fiunt veluti hominum placita stipulationibus constabilita vim habere, atque soli priscae Legi, quæ certas personas ad sejunctam sponsam ingredi prohibitæ recessit, in his valere concessum est, quiddam cum convenientiæ Christianis honestate conjunctum, præsentii oraculo nunc etiam addi oportet. Quia enim non secundum exactam convenientemque rationem veteris, novæque Legislationis Decreta peragebantur, sed promiscuum vulgus antiquiori Legum auctoritati adhærescens: post sepiennale tempus citra dilationem sponsalia celebrabat: ac pro arbitrio quisque ad despontatis ingrediebatur, continua consueta, atque libertate congressus ad colloquia amoris flammam accendens: sacratior autem pars Novellam Imperatoris iussionem secuta, inter sponsalia & nuptias distinctionem ponebat, primum preces sponsalitias, ac deinde matrimoniales conjungendas accinens, atque conjunctim simul & eodem tempore, quando interea vel minimum quidquam incideret, isthæc perficiebantur, & sponsalia nuptiæ uno spatio peragebantur: hoc tamquam sine disquisitione fiat, nostra pietas corrigens per præsentem generalem iussionem sancit, ut qui ad annum contrahentium septimum, & deinceps usque ad decimum quartum, aut duodecimum velut imaginarii sponsaliorum contractus fiunt, legitimorum, firmorumque sponsaliorum vicem non obtineant: sed tantum tamquam confirmatae stipulationes habeantur, atque secundum aliorum contratum naturam operentur. Et ad hunc quidem modum apud omnes subditos nostros illa obtineant: ut tamen interim vetus Lex, quæ de sponsalibus promulgata est, in personas ad sejunctam sponsam ingredi prohibitæ plenam efficaciam habere debeat: idque quo is status, quem in Christianorum Republica vigere convenit, augmentum accipiat. Nam tametsi ea res secundum exactam rationem perfecta sponsalia non sint: attamen, quia quod agitur, sponsaliorum propositum habere videtur, atque inde nuptiarum fundamentum jaci incipit: magna profecto ratio est, quatiobrem a Lege prohibita personæ iterum impedianter, adeoque nemo impudenter procari præsumat, ut in uxorem assumere audeat, quam vetus Lex sponsam alicuius factam, diremis sponsalibus in alterius manum convenire non sinebat. Verumtamen ubi id tempus advenerit, quod sponsalibus simul & nuptiis convenire judicavimus (ubi neque foemina duodecimum annum, masculus vero decimum quartum excesserit) tunc in primis sponsalia decantandis sacris precibus, illorumque solennibus (arrha videlicet, gratoque despontatis osculo) observandis perficiantur: atque deinde exiguo longiore tempore, quomodo contrahentibus visum fuerit,

intermissio, citra recusationem legitimæ etiam nuptiæ procedant: non autem multum disjunctæ res simul uno die, & sape una hora effectum sortiantur. Taliter enim ordine in nuptiis procedente cum Lex vetus, quæ prohibitarum personarum catalogum fecit, illis non permittens ad sejunctam cognatæ personæ sponsam ingredi observabitur: tum sapientissimi Imperatoris Novella iussio decore in omnibus & valere, & in Republica obtinere conspicetur; quin & contrahentes persona ab intempestivis & indecoris congressibus coercitæ, castam vitam ducent, opportuno tempore, quando sponsalia nuptiasque ipsis perfici conveniet, cum sacra invocatione invicem congressura. Quod si quis contra, atque præsenti Potentiaæ nostræ Constitutione prohibitum est, sponsalia confidere præsumserit, neque hac generaliter, & adversus omnes promulgata, quæ in posterum obtinere debent, ab ipsis Kalendis ineuntis mensis Julii instantis vii. Indictionis anni 6592. sequi visus fuerit, & ante legitimum tempus: sacramque benedictionem arrhas pacisci fuerit ausus, aut etiam in mutuum conspectum contrahentibus personis convenire, atque inter se promiscua omnia habere permiserit: Tabellio, qui arrhabonicum contractum conscripserit, a sua statione removebitur, qui vero ante tempus sponsalia consecerint, humanae divinæque iræ se obnoxios reddent. Fiscus namque propter præsentis iussionis contemntum per rerum domesticarum Secretarium positam ex stipulatione in instrumentis pœnam ab ipsorum singulis integrum exiget. Credimus vero etiam ipsum Deum adversus hos insurrectum, quod inter juvenes nequitiam palam, & destinato introducere non erubuerint. Etenim si vetus Lex irrita facta est, & perfecta sponsalia confici nequeunt: verum recentioris Legislationis præscriptum ad effectum deducere contrahentes recusant: quid aliud faciunt, quam homines sibi mutuo secundum Legem non obstrictos, contra Legem, inter se corrupti sinunt, juvendumque animis lascivos amores per pollutam conversationem ingenerant?

#### 4. De solutione sponsalium.

Mense Martio, Indictione decima quinta, anno 6600. suggestio Europalatæ & magni Drungarii Vigilæ D. Joh. Thracensis, ex qua declaratio facta est Imperatoris D. Alexii Comneni, præcedentem ipsius Novellam de nuptiis confirmans, ac statuens, ne dissolvi possint sponsalia, quæ sacra benedictione munita sunt. Domine mi sancte, cum quidam nuptiarum reprobationes liberorum suorum nomine contraxissent, deinde displicerent conventa, & sponsaliorum contractum rescindere conarentur, cumque suppliassent sanctæ tuæ Majestati, & ad forum hippodromi remissi, in eo insisterent, ut pœna instrumento sponsaliorum comprehensæ præstarentur, & sponsalia dirimerentur. Cum autem alii contradicerent, oportere hæc indissoluta manere, non ut antea, datione pœna dissolvi, & Novellam tui imperii Constitutionem de sponsalibus, ante aliquod tempus emissam in auxilium suum allegarent: quæ a veteribus Legibus recedens, fecit, ne aliter perficerentur sponsalia, quam si mas decimum quartum ætatis annum excessisset, femina autem duodecimum, solita precatio in sponsalibus facienda, cum aliis solennibus observationibus, nimis arrhabone & osculo: ut inclito Imperatori D. Leoni philosopho constitutum est; & brevi temporis spatio, vel etiam majuscule, ut iis, qui contrahunt, placuerit, nuptias differti; non eadem die vel hora concurrere: divisum est judicium in diversas sententias. Sunt enim, qui censeant præstandas esse poenas, & sponsalia solvi debere: allegantes, si id non procedat, nullam inter nuptias, & sponsalia fore differentiam, si quidem nuptiarum prærogativa sponsalia ornentur. Præsertim cum arrhabonis ea sit natura (quemadmodum Lex ait) ut si is, qui dedit, non impleat ea, de quibus convenit, amittat datum: si autem is, qui accepit, reddat in duplum. Alii e contrario indissoluta manere sponsalia putant: dicentes non esse consentaneum, ut, quæ post liberorum perfectam ætatem simul parentibus placuerunt, eorum consensu & sacris precibus obligata, datione pœna rescindantur: hoc enim conveniens esse, & accidere, quando nudum vinculum processerit, aut etiam sponsalia post septimum annum initia furentur juxta veterem ritum, quæ nec sponsalia esse tuæ Majestatis Lex demonstrat. Sic igitur divisus judicium sententiis, tuæ Majestati vilis servus ejus refero, querens, utri sententiæ adjicere se oporteat. Utraque enim pars probabilia præferre videtur. Et per venerandum rescriptum dari mihi postulo interpretationem, quæ dilucide pureque dubitationem solvat. Legis enim vigorem obtinebit in posterum: & oportet certam puramque esse sententiam, nepotesta amplius in controversiam revocetur. Et interrogationem quidem meam sancta tua Majestas æqui bonique consulat. Ego vero audacter etiam de-

tempore refero. Vilis enim servus tuus arbitror justum non esse, ut eodem tempore sponsalia & nuptiæ definiantur: sed parvam aliquam prærogativam vel in tempore habeant nuptiæ, & a sponsalibus differant, quæ in eo nuptiis sint inferiores. Etenim hoc valde profuturum spero Reipublicæ. Nam parentes amore, quo in liberos affecti sunt, vixi, & quamprimum iis providere festinantes, & securitatem adipisci, temporis angustiis impediri, moleste & graviter ferunt. Sunt autem, qui & ex contemtu mentiuntur annos, amore liberorum ad perjuria impulsi, quod si sublatum fuerit, & diminuatur sponsaliorum tempus, tum & quæ ex contemtu recordia parentum sanabitur, & quæ ex hac contingere suspicamur mala, mendacium & perjurium, convenienter reprimentur. Et sanctum imperium tuum gloriæ, magnificentia & honoris fructum ineffabilem percipiet, & assiduas intensasque preces, quandoquidem subditis conducibilia, utilia & salutaria semper procurat. Si imperium nihil aliud est, quam legitima Præfectura: Leges autem Rempublicam tuerentur indemnum, procul expellentes & ejicientes ea, quæ civili administrationi osticiunt: Regibus autem permissa est Legis ferendæ potestas: opus sane regium ad communem Reipubl. utilitatem, Legum interpretationem ab iis, qui rerum potiuntur, fieri, & earum, quæ deficiunt, ad implementum solidi, & ad earum, quæ obscuræ sunt, dijudicationem, quas vel ipsi sanciverunt, vel ante lata offenderunt, ab his exponi. His convenienter cum nostra Majestas Julio mense præcedentis sextæ Indict. anno 6592. Legem fecisset, & novella s Constitutione D. Leonis Philosophi & Imperatoris fundaretur, definita, ut prima contrahentium conventio sacra benedictione initiatetur, ipsa videlicet sponsalia, & tempus & certum, quod utique & ad nuptialem conjunctionem sufficere Lex antiqua statuit: instituit ea esse proprie sponsalia, & vere nuptiarum potestatem habere, quæ & tempus Leonis novella definitum integrum habent: & subsequentem sacram benedictionem noverunt: & in his sponsalibus synodalis decisionis observationem in nuptiis obtinere, quemadmodum & quæ tempore Beati Patriarchæ Domini Joannis Xiphilini ex synodali consultatione emissa declaravit annotatio. Cui & inter principes inclitus D. Nicephorus Botoniata robur invenitur tribuisse. Diserte namque pronunciat: duos fratres non adsciscere sibi duas consobrinas per sponsaliorum conciliationem neque etiam conjungi vetitis personis synodica decisione hujusmodi sponsalia contrahere licere. Quin potius etiæ personæ hujusmodi sponsalia contraxerint, quæ alterius forte partium morte dissoluta sint, superstes alia sponsalia prohibebitur contrahere cum ea persona, cum qua, si nuptiarum societas ei processisset cum defuncta persona, contractum inire non posset. Et secundum ea, quæ in hac ab imperiali nostro culmine in his præscripta sunt, gubernari constituit eos, qui nostra orthodoxyæ & Christianæ Reipubl. sunt subjecti, neque omnino sponsalia initiari unquam, aut actum proprie sponsaliorum nomen sortiri, nisi in iis sacra peragatur benedictio, & nuptiis præstitutum tempus habeant. Etenim quæ, aliter factæ fuerint, non sponsalia proprie, sed hominum placita per stipulationem confirmata censerit, & tamquam talia effectum sortiri, veteremque legislationem in his vim suam obtinere. Et hæc quidem ab imperio meo accurate tunc constituta sunt. Ceterum, quia nihil de eo, quod magnifice suggestisti, edictum est, quæ dictæ novelle Constitutioni desear, nostra adjicit potentia, & definit, talia sponsalia, quæ proprie sponsalia sunt, immota manere & inconcussa, ac indissolubilia, utpote Deo inter eos, qui conjuguntur, interveniente, & primam vitæ conciliationem confirmante, corroboranteque per sacrarum precum recitationem. Nunquam vero ipsa poenarum resolventur dationibus. Neque enim hæc ex hoc tempore contrahentium instrumentis adscribentur. Nam quando solis poenæ corroborabantur, & ea adscribabantur, datione etiam earum infirmabantur dissolvebanturque: nunc autem, cum Deus disjuncta conjungens, sponsalia robusta & constabilit, indissolubilia prorsus remanebunt, quin facimus, ut horum solutio perfecti matrimonii esse censeatur. Perfecti enim matrimonii dissolutionem facere videbuntur, qui hæc sponsalia dirimere conabuntur. Sic igitur probabilit & cognata personæ, prohibitæ cum sponsa, vel sponsæ sorore nuptias, aut sponsalia primas coeuntium conventiones contrahere, ab hujusmodi contractibus arcebuntur. Si quidem nuptiæ juxta tempus antiquis & recentioribus Legibus, non raque Novella Constitutione præstitutum servabuntur, cum solitis his observationibus. Nec licebit cuiquam eorum, qui in Republ. nostra degunt, præter ea, quæ præsenti Majestatis nostra Constitu-

tione vetita sunt, petagere quidquam, nisi Imperator (ut sæpe accedit) sponsalia, & ex sacra benedictione conciliationem intra definitos annos per dispensationem quamdam sponsis permiserit. Licebat enim quibus a Deo rerum humanarum dispensatio commissa est, supra Leges dispensare, ut Philosophorum Summus, & veteres Legislationes dicunt. Licebat igitur Principibus, quando voluerint, in angustum cogere & contrahere per dispensationem & utraque sponsalia: nimurum, quæ secundum antiquam Legem præscribuntur fieri non minoris ætatis, quam annorum septem, quæ & imperfecta sponsalia censentur: & ea, quæ juxta Imperatoris D. Leonis Philosophi summi Legem cum sacrarum precum recitatione celebrantur, & perfecta sponsalia existunt, utpote cum nuptiis concurrens tempus habentia, & conjunctionem sponsorum, quæ per sacram benedictionem fit, nimurum perfectas nuptias intra præstitutos ipsis annos circumscribere, ante hanc lata constitutione ab Imperatore Philosopho summo. Nam ut & sponsalia & ex sacra benedictione conjunctionem sponsis intra præfinitos annos Princeps decerneret, ab eo constitutum est. Quod si sponsalia non sint perfecta, quæ per precatioes in ipsis artis sponsalitiis confirmationem non acceperint, neque definitum nuptiis tempus consentaneum acquisierint, qui sponsis conventionem ex sacra nuptiarum benedictione Decreto suo permittit, puberibus hanc & impuberibus sponsis omnino decernere. Et hæc quidem ab Imperatoribus per dispensationem quamdam efficientur. Non permittent tamen naturalem concubitum, sed ab eo repellent tam eos, qui per sponsalium sacram precationem initiandi sunt, quam qui per divinum carmen nuptialium precum conjunctionem suscipiunt, intra annos declaratis sponsalibus & nuptiis præstitutos, & tam juxta Leges antiquas, quam Novellas Philosophi Regis Constitutiones. Tunc enim naturalis coitus his concedetur, quando & ab initio Lege definitum est: nimurum mare decimum quartum annum excedente, & fœmina duodecimum. Donec autem vel ambo, vel alter eorum definitum annorum spatium percurrerit, eis non dabitur conjunctionis naturalis potestas, illo a parentibus exigendo, ne circa hujus rei custodiā negligenter & segniter se gerant: ne præter decorum & ab initio definitum naturali coitu tempus ad se invicem convenient. Si enim per eorum incuriam hoc perpetratum fuerit, tam qui perpetraverit, quam parentes ejus, subjiciantur poenis legitimis eorum, qui virginem intra præstituta nuptiis tempora corrupserunt. Sed & si cum Princeps per dispensationem aliquam tempus sponsaliorum, vel nuptiarum præciderit, contigerit ante benedictionem nuptiarum & coronarum, post sponsalia sacris precibus initia, sponsos morte separari, superstes persona contrahere nuptias prohibebitur, cum quibus contrahere prohibetur jam dicta synodali consultatione. Non erit enim superstibus permisum ad hujusmodi personas ingredi, quod tempus perfectorum sponsaliorum non invenitur concurrens. Nam quæ per Imperatoriam dispensationem peraguntur, id ipsum dispensationem pro tempore ferunt auxiliantem. Leges enim, ut sæpe dictum est, Legem condere, & dispensare Imperatoribus permiserunt. Nam etiæ in imperfecta ætate sponsalia, & nuptiæ fiant, cum talibus certe personis contrahere prohibebuntur, cum quibus contrahere perfectæ nuptiæ, & perfecta sacris initia sponsalia non fiant. Et hæc obtinebunt etiam in his quasi perfecta ætimentur, contrahanturque, quæ & in perfectis nuptiis obtinent, quæ sine Principis dispensatione fiant. Constitutione igitur ante promulgata Junio mense, vii. Indict. anni 6592. juxta ownia, quæ ita disposita sunt, inviolabiliter obtinente, nullo enim modo per præsentem Constitutionem mutilata est, quin potius repletur, & ad integratatem reducitur. Quæ vero nunc per præsentem & in perpetuum valitaram Constitutionem nostra definiit Serenitas, omnibus omnino manifesta quam primum fieri curato, illustrissime Europalata, & magne Drungarie Vigla: ut nemo eorum, qui sub ditione nostra sunt, ignoret ea, quæ pro ipsis utilitate a nobis sancta, & constituta sunt. Nam omnem Christianissimam multitudinem præsenti Constitutione frui volumus, ne quis ex omnibus ignorantiam hujus constituti juris unquam prætendat: cui debes auxilio esse in omnibus judiciis, & omnibus, quæ nostri Imperii sunt, Provinciis, & apud omnium Ecclesiarum, quæ in iis sunt Præsules, eosque, qui observantur ab omni Christiana civilitate. Actum Martio mense, præsentis xv. Indict. anni 6600. Excepto eo, quod etiæ sponsalia sacra precatione initia debant indissolubilia manere, non omnino tamen nuptiæ posthac indissolubiles servarentur. Sed quibus ex causa hæ solutionem admittunt, iisdem & sponsalia dissolventur. Mense Martio, Indict. xv. rubris literis,

## 5. De Chartophylace.

Imperium meum, quod ecclesiastica honestatis maximam curam gerit, & bonum quidem ordinem cum in omni civili ratione querit, tam autem multo magis in rebus divinis eum versari studet, quæ unicuique gradui ecclesiastico sunt ab initio tributa privilegia, & eam, quæ in his hucusque obtinuit, constitutionem, deinceps quoque esse immutabilem, & perseverare vult, & censet, sanctissime Domine, utpote quæ per tot annos suscepta, & in usu civili longo tempore versata, & ab alio in aliud immutabilibus hucusque transmissionibus vindicata, ac confirmata sit. Sed quoniam Imperatoria mea Sublimitas didicit, nonnullos Antistites contentionem quadam & gloria studio incitatos velle Cartophylacis privilegium minuere, & Canones in medium adducentes, per eos contendere illum ante Antistites sedere non oportere, quando aliquo usu exigente oportet eos convenire, & considere ante excessum ad tuam Sanctitatem: non ferendum regia meæ Majestati visum est, ut res, quæ tanto tempore approbata est, & a prioribus Patriarchis, & ab aliis Antistitibus, sed & ab iis, qui nunc ob rem non honestam contendunt, longissimi temporis silentio nunc obiter aboleretur, & tamquam neglectum quidpiam convelleretur. Hanc ergo rem decernit esse valde rationi consentaneam & justam. Si enim contra vellet Antistites immobilia non movere, necea, quæ iis, qui prius fuerunt, patribus placuere, sed & quæ iis ipsis longo silentio, & hucusque patientia, probata fuere, rursus in certamen non deducere, recte se haberet, & eis magna gratia haberetur, quod pugnandi studio abjecto, pacem & quietem protulissent. Si autem etiam adhuc nonnulli, verba Canonis usurpantes (a sententia enim longe absunt) voluntatem suam confirmare conantur, & non recte ordinem ad id, quod est inordinatum transferunt: permittit quidem Imperatoria mea Serenitas Canonis interpretari & declarare contextum, qui facile comprehendi potest, & pulcre discerni iis, qui exacte penetrant, & Canonicum sensum attingunt. Hoc autem utique ipsum in Antistitibus increpat, quod, cum Canonem scirent, & ejus verba perfecte inteligerent, suam ipsorum conscientiam præter rationem conculcarint, & dum disturbaretur Canon, tolerarint, & in anterioribus Chartophylacibus inferiorem sedem elegerint. Et his mercedem contemptionis sacrorum Canonum, dat expulsionem ad proprias Ecclesias: Canonem ecclesiasticum hic subsequens, & Canonum contemptoribus sacros illos Canones in subsidium opponens. Neque enim Pontifices Occidentalium Praesules, qui longo tempore sibi creditorum ovilium curam non gesserunt, nec, ut oporebat, iis præfuerunt, dicere possint, hostium rabiem, quæ per Orientem graffata est, impedimento fuisse, indeque rationalium ovium Episcopatu esse spoliatos. Et quod ita quidem a meo Imperio dispositum est, iudicium ipsius rei gestæ reliquit. Quoniam autem & illud ad aures ipsius perlatum est, aliquos ex Ecclesia Clero in ferendis suffragiis præteriri, iisque præferri nonnullos inferiores forte & astate & statu vita meliore, & qui non multum pro Ecclesia laborarunt: ea res nequaquam visa est sacra Antistitum Synodo digna. Unde religiose simul & regie mandat, ne ludatur in non ludicris, neque affectui indulgeatur in divinis, (ubi enim anima est id, quod periclitatur, cuius alterius cura gerenda est:) illi autem præferantur aliis, & in suffragiis honorem ferant, quos cum doctrina vita ornata inculpata: aut deficiente forte doctrina, diuturnum tempus, & multis circa Ecclesiam labor, defectum implent. Sic enim & suffragiis recte judicent, nec in sua animæ condemnationem arguantur, Deo sententiam ferentes.

## 6. De doctoribus.

Nota ex hoc praesenti Canone, potestatem docendi populum solis Episcopis datam esse: & magnæ Ecclesiae doctores Patriarchæ jure docere. Hoc autem etiam ostenditur ex Novella illustris Imperatoris Domini Alexii Comneni, quæ describit & quomodo, & quoniam debent in Ecclesiis eligi, & decernit omnibus Doctoribus, tam iis, qui sunt extra Ecclesiam, quam iis, qui sunt intra, tres asperorum libras, & frumenti modios quinquaginta, & hæc aperte decidit. Sit autem & hic Doctoribus honor tributus, ut iterum in propriis Ecclesiis, propter quas successerunt, statim post officiales proximi Patriarchæ assideant, tamquam ejus personam representantes. Audimus enim eum, qui Pontificis locum tenet, maximum gerere honorem: & nemo poterit ad hoc contradicere. Qui autem & verbo, & opere digni sunt, quorum ratio habeatur, ad doctrinæ Ministerium introducantur, & per docendi munera ad officia provehantur. Propterea enim mortuo, qui erat eo tempore, Patriarcha, nec ipsi doceſe possunt.

## 7. De electis ad Orientales Ecclesias.

Lege jussionem, quæ mense Novembr. 11 Indict. emissâ est, illustris Imperatoris Domini Alexii Comneni, decernentem, eos, qui in Orientales Ecclesias electi sunt, & iterum suas habere Praeposituras & Adelphata, & officia: Didicit Imperium meum, Sanctissime Domine & universalis Patriarcha, quod cum in Dei Ecclesia electiones procedant, quidam eorum, qui electi sunt, in Monasteriis prioratum tenentes, & administrationem habentes, vel alia etiam ministeria exercentes, & omnino Monachi existentes, alii autem in magna Dei Ecclesia, & aliis ex officiis, & aliis quibusdam ministeriis, ea, quæ victui sufficiunt, possidentes, agre ferunt pontificale jugum subire, & illis Ecclesiis præesse, in quas renunciati sunt: veriti ne, quum ejusmodi Ecclesie in Orientis partibus sita sint, eis necessaria desint, utpote cum Ecclesiæ, in quaibz electi sunt, redditum non ferant, & sint ipsis omnino inaccessi: preventur autem & ipsi, eo quod iliarum regionem suscipiant, Praefecturis & Oeconomis, quæ sibi adsunt, & aliis muneribus, & iis, quæ simpliciter dicuntur Adelphata, & officiis, & quibusdam aliis ministeriis. Meum itaque statuit Imperium, ea, quæ ad ipsos pertinent, dispensativa quadam ratione disponens: ne quis propterea pontificale jugum subire recuset, ii enim omnes rursus fruentur iis, quæ sibi adsunt Praefecturis, & Oeconomis, & aliis ministeriis ac muneribus, & officiis, & quæ illis adsunt Adelphatis: & doctrinæ ratione subeuntes, a se suscepto ordine præfectivo, illorum quoque redditus libere percipient, donec remissionem acceperint, & ab ea, quæ nunc est Cleri calamitosa sorte, ad meliorem Cleri successum eis attributarum Ecclesiarum, quæ ab eis, ut dixi, aditi non possunt, ut quæ ab infestissimis teneantur hostibus, pervenerint. Sed hæc, quæ a meo Imperio constituta sunt, locum non habebunt in officiis, vel gradibus Sacerdotum, Diaconorum, & ceterorum Cleri magnæ Dei Ecclesiæ. Pone ergo praesentem Constitutionem, in Codicibus Chartophylacii, seu tabularii magnæ Ecclesiæ.

## 8. De erigendis Episcopatibus in Metropoles.

Interim autem scire debes in mense Mayo, decima Indictione, anno 6565. exiisse Edictum ab illustri Imperatore D. Alexio Comneno, continens, cum Metropolis Basilæi, & Metropolis Madytana viduz essent, & Antistitum electionem fieri oportet, exsurrexisse Heracleum & Ancyram Metropolitanum, & dixisse non debere eas Ecclesias, etiam si Metropolium dignitate honorata sint, a magnæ Ecclesiæ partibus Antistitem suscipere, sed ab ipsis, eo quod Madytana quidem Ecclesia sit Heracleæ Episcopatus, Basilæi autem Ecclesia sit Ancyram Metropolitanæ Episcopatus. Et cum usi essent ii Metropolitanæ duodecimo Canone Chalcedonensis Synodi, decernente, servanda veræ Metropoli jura, quæ illi adsunt in honorata Ecclesia, Decretum fuit imperiale in praesentia tunc convocata Synodi consentientis, unaque decernentis, licere Imperatori pontificalem thronum Ecclesiis largiri, & Episcopatus, vel Archiepiscopatus in Metropoles erigere: eaque, quæ ad electionem pertinent, & reliquam dispositionem, prout ipse voluerit, describere: nec a Canone impediti, qui statuit Metropoli jura servari, quæ illi adfuerunt ab initio in honorato Episcopatu. Et lege hoc Edictum, quod interpretatur, quomodo debeant servari jura antiquæ Metropolis, & non dividendam esse unam provinciam in duas. Nos enim eo quod sit prolixius, hic integrum non posuimus. Hoc ipsum autem Edictum post Decretum, quod continet, debere Ecclesias, quæ sunt honorata, jussu Imperiali a throno Constantinopolitano Praefulm electionem accipere, nec eos, qui paulo ante erant, Metropolitanos ullam in eis partem habere, hæc quoque expresse continet. Quoniam autem rursus quoque Antistites Chalcedonensis Synodi Canonem adducentes, eos, qui jussu Imperatoris altiore throno digni habiti sunt, dicebant præter Canones honorem perfectiorem consequi, & rationis expertes eorum appetiones coerceri volebant, & Canoniam auctoritatem afferebant: Imperium meum, & Imperialis potestas, quod ei a divinis Canonibus datum est privilegium, ne neglectui haberi non sinens, & Antistitum ob honoris provocacionem supplicationes, ut non Canonicas neque legitimas, appellationis eventum accipere nolens, statuit Episcopatum non aliter in sublimiorem thronum erigendum, Archiepiscopatus scilicet, vel Metropoleos, quam si Imperator illius temporis, proprio motu impulsius, gratia humana non intercedente indecora, voluerit illam, quæ est superior ac eminentior, dignitatem ei præbere, vel propter civitatis honorem, vel propter ejus fidem in sanctam Ecclesiam, vel ejus, qui illi præst virtutem honorans, & ex eo, sua sponte incitatus ad largiendum honorem. Ac ei quidem qui

propter humanam affectionem, & mores non laudatos, ordinem sublimem largitur, divinorum Canonum metus incutitur. In quos ne saxe Imp. incidat, permittit & sanctissimo ejus temporis Patriarchæ, ne aliter a quovis allatum de cuiuscumque Ecclesiæ primatu chartam confirmet, nec ejus Præsulem inter Archiepiscopos, vel Metropolitanos recipiat, quam postquam de eare ad Imperiale potestatem retulerit, & quid sacris cautum sit Canonibus docuerit, intellexerit, quod Imperator, proprio motu justa de causa Ecclesiæ hunc honorem largitus est. Tunc enim & eam admittet, & in eorum, qui sub se sunt Antistitum numerum illum cooptabit, qui præstantiorem honorem ab Imperatore sortitus fuerit.

9. De testibus, & benedictione matrimonii servorum.

Legi etiam Novellam Imperatoris Domini Alexii Comneni, quæ edita est de non admittendis testibus, qui contra opponuntur, quando testes adducuntur ab eo, qui ad libertatem proclamat: & de eo, quod liberi servi non fiant, qui sacram benedictionem acceperint, quæ his verbis hæc persequitur: *Duo hæc ad aures mei Imperii pervenerunt, sanctissime Domine, quosdam eorum, qui ad sanctum & magnum divini verbi sapientiæ templum accedunt, ad libertatem proclamantes, & genus suum ad libertatis ostensionem allegantes: (dicunt enim se ex liberis parentibus esse natos, Bulgaria forte, vel aliquibus aliis, quos in servitutem nostra accepit Respublica) ea quidem, quæ dicunt demonstrare permitti: & postquam testes omni exceptione majores, & in quos nulla cadit criminatio, adduxerint, ad alios eis testes opponendos eorum dominos procedere. Et sic eos, qui proclamant, quum semper in iudiciis subsistere non possint, servilis conditionis onere rursus opprimi. Et quando matrimoniales fiunt servorum conventiones, & conjunctiones in nostra Respublica, eas tamen sacram non sequi benedictionem, carentibus dominis, ne servos inter se invicem cum sacra benedictione conjungant, & ex eo ad libertatem perveniant. Eorum utrumque convenienti correctione opus habere censuit, & propterea hanc Constitutionem magna cum cautione & observatione edidit, per quam statuit de iis, qui ad libertatem proclamant servis, ne ii, qui contra adducuntur testes, vim ullam, locumve habeant, in quoque seu civili, seu ecclesiastico iudicio: sed ii soli, qui proclamant, legitimas probationes affrant: & si ii quidem testibus abundant, qui jure sunt recipendi, neque calumnia induci, testium jurejurando judicium solvatur. Sed non aliorum etiam testium adversus hæc productiones eorum dominis permittantur: ne magna adversariorum inæqualitas sit inferioribus damni causa: sed quemadmodum in iis, qui idem tributum solvunt, Lex beatissimi Domini Basilii potentibus adversus pauperes contrarias productiones non permisit: sic & hic dominis adversus servos vis contraria productionis extincta erit: & sola apud eos valebit adversus testes illata criminatio, contraria productione non omnino iis exclusa, qui ad libertatem proclamant, quando ii, qui trahunt in servitutem, eos adversus illos, qui jure sunt liberi, produxerint. Inferioribus enim & imbecillis præsens Constitutio gratificatur, &, quod eos juvet, subministrat, non autem pro majoribus & potentioribus editur. Adjicit autem, & benedictiones non solum in liberis, sed etiam servis valere. Et nuptias non aliqui legitimas & Christiana institutione dignas esse & existimari, nisi etiam benedictio eos, qui conjugantur, obliget. Absurdum enim esset, cum una in omnibus Christiana fides valeat, & unus sit in confessio Baptismus, per quem ad Dominum deducti sumus, & eadem salus a nobis omnibus speretur, nonnullis hanc obortam esse suspicionem, quod servi sint boni minus participes, & liberi quidem matrimonio invicem conjungantur prius oratione colligati: servi autem a tali bono excidunt: & Deum non assumant in congressus benedictione, vel metuant, si eum assumperint, ne herus in dominio injuria afficiatur, illorum servitio privatus. Si hoc autem locum habuerit, sanctum quoque Baptismum timere oportet, ne servi a dominis alienentur: sed etiam immaculatorum Mysteriorum assumptionem, ne per eam ab illis quoque alienentur, quo fieri, ut in servis intereat magnum & venerabile divinæ fidei nomen: & non solum hominum, sed etiam diaboli servi sicut homines. Eorum autem domini in periculum quoque venient, ne dum ministerio hominum privari formidant, a Dei gloria se ipsos abalienare sustineant. Sed neque hoc est rationi consentaneum, & sacram benedictionem in servis quoque valere, aequum, & Christiana institutione dignum est. Verum enim vero fortuna novit in hominibus diversa esse dominium, & servitutem. Et quæ nostra accepit Respublica, ea in iis quoque*

valere oportet. Unus autem Dominus omnium, una fides, unum Baptisma, &, quod ad fidem quidem attinet, dominii & servitutis differentiam non cognovimus. Omnes enim sumus ex æquo servi ejus, qui nos suo divino & vivifico sanguine redemit. Et quoniam hæc sic recte & utiliter constituta sunt: oportet magnam tuam Sanctitatem hæc omnia in omnibus Ecclesiis manifesta reddere: ut, qui eis præsunt, ea, quæ ad libertatem pertinent, sic examinantes, contrarias testium productiones adversus servos dominis non permittant, & omnibus in suis Provinciis manifestum efficient, eos, qui non cum sacra benedictione servos invicem conjungunt, non Deo gratum inter eos matrimonium constituere, sed fornicatorum coitum & stuprum confirmare. Quos enim non conjungit Deus per sacram benedictionem assumptus, hi omnes ad peccatum convenient: & sicubi hoc ab aliquo, quicumque is sit, factum renunciata fuit, sciant domini, se non solum iræ divinæ fore obnoxios, sed a servis quoque abalienatum iri, eis abductis in libertatem. Cum eis enim liceat servos suos jure invicem conjungere, & integrum in eos habere dominium, nisi hoc fecerint, jure omnino a beatorum dominio excident: præsens autem Constitutione non solum debet in Ecclesiis, quæ ubique sunt, promulgari, sed in omni etiam civili foro deponi, tradi autem iis, qui in Provinciis Magistratus gerunt. Quoniam autem in personis servilem fortunam habentibus nuptiæ prius factæ sunt, & nuptiæ convenienter iniquæ, quæ hucusque invaluit, consuetudini processerunt: oportet in iis quoque sacram benedictionem fieri, ut per eam, etiamsi tarde fiat, id, quod est colendum, ac venerandum, habeant, superioribus observationibus etiam in hoc coniugio obtinentibus.

10. De oblationibus, & aliis ecclesiasticis juribus.

Quia autem de oblationibus & aliis ecclesiasticis juribus emissæ Constitutione illius incliti Imp. D. Alexii Comneni ad suggestionem quorundam Diaconorum, qui curam Patriarchalium Monasteriorum suscepserunt a Patriarchali Magnificentia, quæ subscriptionem habebat, Decembrem mensem quintæ Indictionis: scito eam hæc ad verbum continere. Observationem & correctionem animæ lapsuum constat habere sanctissimum ejus temporis Patriarcham, tam in liberis Monasteriis, quam in traditis & donatis, & iis, quæ ad administrationem, vel dispensationem data sunt. Jus enim habet subeundi & contredandi delicta animæ & secularia, & publica Monasteria, &, ut semel dicam, omnia, quæ sunt sub ejus regione, sive sint Patriarchalia, sive Imp. & quæ sunt sui iuris. Et in propria quidem, quæ superiores Patriarchæ ad incrementum non elocabant, absque impedimento, quando volet, ingreditur, sive ipse per se, sive ejus suasione, quem ipse ex ecclesiasticis elegerit: ea perscrutari, dignum esse statuerit. Libera autem & sui juris Monasteria, quando ad sanctissimum Dominum meum, & Patriarcham delictum in Monasterio factum pervenerit, sive alioquin si fama aliquorum vel etiam unum audiverit, tunc, ut dictum est, ingreditur, & perscrutabitur delicta animæ, etiam si, qui dixit, nolit subire probandi periculum. Homo enim Christianus, quando aliquid factum audiverit, debet hoc dicere communi Patri & Antistiti; fortasse enim non vult hoc subire periculum, & propter hujusmodi causam delicta animæ inobservata & incorrecta relinquere, est hoc valde absurdum, nullo quoque scripto Imper. vel Patriarchali hoc prohibente. Sed Monasteria quidem debent non innovata conservari in perscrutationibus eorum, qui mittuntur, nullo inde sumptu dato. Tunc enim animæ delictorum correctio facile, si Deus volet, fiet. In Monasteriis autem non solum alia animæ delicta inquiret, sed etiam, an dissoluta sint, vel dissolvantur in parte, vel in universum, ab iis, qui ea accepere: & si inveniet in iis aliquas fieri deminutiones, cogit eos, qui ea detinent, restituere, quemadmodum accepere, & secundum Monasterii facultates. Sed in illis quidem, qui propter inopiam non sufficient ad statum, in quo ea accepere, quæ sunt quidem effecta meliora & aucta, cum recte se habeant, non minuentur, sed manebunt, ut se habent. Qui autem ea detinent, quæ sunt illis tradita, ut regimen & administrationem ad tempus suscipiant, & eis damnum afferunt, si nolint in eum, quem accepérunt, statutum ea restituere, eis auferantur, nec ab iis, quæ habent, scriptis juventur, eis dato convenienti die præfinito. Inter ea autem, dum penderet terminus, debent observari, an ipsi eorum de in integrum restitutione operibus vacent, ut ostensum est. Tum enim etiam terminus servabitur. Renunciationes autem, quoniam præter Canones dantur, & accipiuntur, omnino cessabunt: & qui accipere, vel dare inventus fuerit, si est quidem Monasterii Præfectorus, ex Præfectura expellatur: sin autem

beneficiarius, e Monasterio expelletur. Quæ autem ab iis, qui ad tonsuram veniunt, sunt offerentium spontanea voluntate oblationes, suscipientur, & describentur in breviario Monasterii, de iis, quæ offerentur etiam sanctissimo Patriarchæ cognitione data. Etiam si iis, qui habent Monasteria, documenta habeant de accipiendo renunciationibus, & oblationibus & lucifaciendis, hoc enim cessare nunc debet, & fieri, quemadmodum dictum est superius. Sed etiam servatae oblationes non debent alienari prætextu documentorum. Porro autem non solum cura animarum Monachorum, sed etiama ipsorum seculatum, incumbit sanctissimo Patriarchæ: & quando viderit aliquem secularium sidentem propriam salutem, quomodo contingat inhiberi Patriarcham, quoniam in Monasterio eum collocet ad salutem animæ ejus, qui accedit? circa ullum enim impedimentum sanctissimo Patriarchæ licet collocare, quam Charisticarii, licet documenta habeant. Præterquam si jubet sanctissimus meus Dominus fraternitatis usum accipere secularem aliquem, vel etiam Monachum ex alio Monasterio ab eo differente, ne det seculari vel externo Monacho Monachatum, & gravetur Monasterium Adelphato. Si enim gravetur, omnino deerit Monachis, qui sunt intus, & pro mercede fieri judicium. Si autem accedit laicorum quispiam, qui est omnino inops & pauper, ad sanctissimum meum Dominum, vel ex antistitibus, qui suos thronos perdiderunt, & sunt inopes, & voluerit statuere, ut is victimum capiat e diuini aliquo Monasterio, hoc recte faciet: non supra facultates numeri eorum, qui sunt ordinati. Monachi enim, qui sunt intus, debent præferri ceteris omnibus ad ea, quæ sunt sibi necessaria, capienda.

### 11. De foro Clericorum, & de judice per Rescriptum prohibito causam ad se transmissam disceptare.

**S**i vero partitio inter adversarios fuerit, & alterum mundani Status esse apparet, alter in sacrum Clerum allectus sit: actor foro rei per omnia subjacebit, & uterque ad competens judicium abibit: nisi si quando tribunal Imperatorum aliquis requiret. Tunc enim omnibus cestantibus Imperatoria Majestas litem dijudicabit, & decidet controversiam. Verum hujus aureæ Bullæ segmentum, quod statuit, ut quicumque ad qualecumque tribunal trahuntur, si Imperatorii tribunalis auditorum requirant, admittantur: irritum factum est ex posteriore iussione ejusdem Imperatoris, Domini Alexii Comneni, quæ evulgata est mense Mayo, Indict. 111. & statuit post procœnum in hac verba. *Præscribit* igitur omnibus vobis, qui judiciis præstis, Imperatoria mea Majestas, ne unquam posthac ulli obtemperetis Rescripto, quod judicium quempiam judicium ad ipsum transmissum exercere prohibeat, tametsi cinnabari subsignatum sit, tametsi cereæ Bullæ sigillum habeat, sed si quidem post libelli oblationem intra viginti cognitionis dies, qui in judicium pertractus est, dimissionem Imperatoria nostra Majestatis impetrat, quæ alterum judicem illi, cui prius causa transmissa est, adjungat: in unum convenienti constituti judices, & legitimam decisionem controversiis imponant. Si vero viginti diei tempus decurrerit, ne alter judex admittatur ( quoniam hoc etiam legi videtur ) neque vero prætextu, quod fortasse postmodum statui possit, ut causa ad Imperatoria Majestatis tribunal introducatur, nullo modo quominus judicium ferat, impediatur, sed transmissam sibi controversiam ad Legis præscripta exakte decidat: ut tamen litigato, si se injuria affectum putet, a provocatio judicio neutquam excludatur. Atque hoc omnes vos judices cognoscentes, nitimini commissas vobis lites servare, & legitimum illis finem imponere. Non vult enim Imperatoria mea Majestas, ut, posteaquam ex iussione ipsius ad judicem quempiam controversia transmissa fuerit, per cujusmodicumque posterius scriptum, quod controversiam ad Imperatoriam meam Majestatem introduci demandet, cognitione impediatur: sed ut illa apud eumdem judicem, aut ( ut superius dictum est ) judices, intra viginti cognitionis dies cum ipso datos, usque ad finem, ita ut subtrahi non possit, procedat: ac post judicium finitum ei, qui fortasse injuria se affectum putabit, facultas sit, ut per provocationem aliud tribunal implore, aut Potentiaz nostræ audientiam requirat.

### MANUELIS COMNENI, SIVE EMANUELIS.

#### 1. De executoribus testamentorum.

**M**ense autem Martio, Indict. xiv. facta est Novella sancti nostri Imperatoris Domini Manuelis Comneni, quæ partim hæ statuit: Cum his hoc etiam iis, quæ ante scripta sunt, sanciendo conjungimus. Multi homines in extremis suis dispositionibus pro-

curatores, sive executores eorum, quæ præscriberunt, relinquunt, iisque Christo, dulci isto, ac mundo salutari nomine, herede scripto, rerum suarum dispensationem atque administrationem injungunt. Hoc autem videntur facere, cum pauperibus substantias suas dividit præcipiunt. Quum enim mendicans accipit adstat Christus, ac una cum illo manum porrigit. Quatenus namque, inquit, uni ex minimis hisce fratribus fecitis, mihi fecistis. Jubemus igitur, ut, quando hujusmodi procuratoria dispensationes, & in pias causas distributiones, quæ ad animæ rectum ductum ac pupillorum, senum atque pauperum educationem & exhibitiones, tendunt, proponuntur, in his judiciorum protelationes, atque, qui hinc existunt, inanes temporum decursus, locum non habeant. Contingit enim hinc, ut defunctorum animæ damnum subeant, & communis omnium boni utilitatisque causa latæ Leges commutentur in contrarium. Tum neque justum esse Imperatoria mea Majestas judicat, ut, qui ordo in reliquis judiciis obtinet, etiam in istiusmodi usurpetur: sed, ut talium specierum ambiguitates confestim solvantur; neque libellus detur, & cognitione in tres, aut summum quatuor dies differatur, nulla judicia dilatione introducenda, quid cuique jure competit, disquiratur; circa omnem dilationem utraque pars accersatur; atque ut, quid juris se habeat, proponat, exigatur: tumque domum per breve tempus, in menem forte unum, aut etiam alterum extendendum, res in controversiam deducta, prout judicii visum fuerit, convenienter dirimatur: in sua sede ac soliditate firmiter maneant Leges, quæ non mox a defuncti morte, sed post aliquot dierum decursum successores ipsius in judicium trahi statuant: quemadmodum, quæ huc pertinent, fusi in Basilicis tractata sunt. Si vero procurator ad dilationem vergeret videatur, eaque evertere dolo deprehendatur, nec, quemadmodum testator præcepit, procrastinationes nestendo faciat: a rerum defuncti procuratione ac dispensatione removeatur; eaque quibus Imperator statuerit, injungatur; aut, si is forte peregre sit, Profectus Urbis una cum sanctissimo Ecclesiæ Oeconomio res illas procuret, ac dispensem: qui de his, quæ in hujusmodi speciebus administrarunt, Imperatori, aut ( si fortassis hic peregre erit ) sanctissimo Patriarchæ rationem reddere debebunt. Non tamen, prout Imperator jussit, defuncti voluntas adimpleretur.

#### 2. De feriis.

**C**eterum, si, quoniam die judicia cessent, exakte discere velis, lege adorandam illam divinitus coronati, optimi, ac sancti nostri Imperatoris, Domini Manuels Comneni Novellam, mense Martio, Indict. xiv. anno ab Orbe condito 6674. emisam, atque hac post procœnum complecentem. Sancimus igitur, ut illi dies feriati sint, quos in praesenti Constitutione, nominatim enumerabimus. §. 1. Quorum alii omnino toti feriati sint, ut nullo modo ultra ipsorum parte constitui judicium possit, extra quam si forte Imperator dispensationis modo, aut propter necessitatem ( ut multa saepuero rerum vicissudo noviter introducit ) in illis etiam judicium constituere velit. §. 2. Alii vero ex parte a judiciis cessent, a mane videlicet usque ad ipsum divini Ministerii tempus: ut judicibus precatiōnibus, atque glorificando Deo vacare liceat, ac deinde post divinum sacrificium justitiae operam navent, secundumque Legum vim injuriam passis auxilium ferant. Verum enim vero, quibus ita post divinum ministerium judicare permisum est, in conficiendis a se instrumentis, temporis, quo illa confecta sunt, mentionem facient. §. 3. Ac primum quidem de omnino feriatis est agendum. Natalis itaque dies purissimæ Domini, ac Dei genitricis, qui est viii. Septembbris, feriatus est. Item xiv. qui propter exaltationem vivificæ crucis honoratur. Item vigesimus sextus, propter Apostoli & Evangelista Joannis Theologi transmutationem Item vi. Octobris: quod tum memoria sancti Thomæ Apostoli celebretur. Item ix. id honorem Jacobi Alphæi Apostoli. Item x in honorem Lucæ Apostoli & Evangelistæ. Item xiii. Novembbris, quod tum memoria Patris Chrysostomi celebretur. Item xiv. quod tum Philippus Apostolus festiviter honoretur. Item xvi. quod tum Mat. thæus Evangelista & Apostolus honoretur. Item xxi. quod tum Dei genitricis in templum introitus celebretur. Item trigesimus, quod tum Andreas Apostolus festiviter honoretur. Item nonus Decembris: quippe quia tunc genitricis Dei nostri conceptio celebretur. Item vigesimus, usque ad ipsum sextum Januarii, utpote quod diebus iis natalitia & Baptismus Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi celebretur. Item ejusdem Januarii duodevigesimalis, divinorum Patrum & Doctorum Athanasii & Cyrilli gratia. Item ejusdem mensis vigesimus quintus, propter memoriam magni Patris Gregorii Theologi. Item ii. Februarii, quod

ruin Servatori obviam itum sit. Item **III** celebrandæ memoriarum Simeonis Dei susceptoris causa. Item vigesimus quintus **Martii**, boni nuncii ergo ad Dei genitricem delati. Item dies Paschales ab ipsa Lazari resurrectione, usque ad ipsum post sactum Pascha octavum. Item **xv Aprilis**, in honorem Apostoli & Evangelistæ Marci. Item trigesimus in honorem fratris Theologi & Evangelistæ Jacobi Apostoli. Item **VI Mäji**, ob memoriam Evangelistæ Joanis Theologi. Item **x** propter memoriam Simonis Zelotæ Apostoli. Item **xxi** propter memoriam Sanctorum, ac Apostolis aqua lium, magnorum Imperatorum, Constantini & Helenæ. Item **xxvi** propter memoriam Apostoli, Alphæi Judæ. Item **xi Junii**, in honorem Bartholomæi Apostoli. Item undevigesimus in honorem Apostoli, Judæ, qui & Thaddæus & Lebæus & Jacobus nominatur. Item vigesimus quartus, propter Præcursoris natalitium. Item undetrigesimus propter principum Apostolorum, Petri, & Pauli, celebrationem. Item trigesimus propter duodecim Apostolorum celebrationem. Item vigesimus quintus **Julii**, propter sanctæ Annæ, matri Dei genitricis, obdormitionem. Item **vi Augusti**, propter Servatoris nostri Jesu Christi transformationem. Item nonus propter memoriam S. Matthiæ Apostoli. Item decimus quintus propter gloriosam sanctæ Dei genitricis emigrationem. Item vigesimus, propter memoriam S. Thaddæi Apostoli. Item vigesimus quartus, propter Bartholomæi Apostoli memoriam. Item undetrigesimus, propter venerabilis Præcursoris decollationem. Hisce omnino feriatis diebus connumerabuntur medietates quadragesimalis jejunii, & Pentecostæ: tum etiam Servatoris assumptio, & omnes totius anni Dominici dies: ut in illis omnis in judicium aditus præcludatur, ac nemo judicum judiciale quiddam faciat. §. 4. Sane vero, qui ex parte judicium sistent, neque ioti (uti antea diximus) feriati erunt, hi sunt. Mensis **Septembri** sextus, quoniam tunc in Chonis summi Duci Michaelis miraculum prodigiose peragitur. Item **xxiiii Octobris**, quoniam memoriam fratris Dei, Jacobi celebramus. Item vigesimus sextus, quia magnum illum martyrem & unguento scaturientem festiviter veneramus, Demetrium. Item **i. Novembri**, quod miraculosi illi anargyri, Cosmas, & Damianus, festive colantur. Item **viii** quod conventus defunctorum celebretur. Item duodetrigesimus, quod S. Stephanus martyr junior celebretur. Item **iv Decembri**, in honorem egregiæ martyris Barbaræ. Item **vi** in honorem miraculis celebris unguentoque scaturientis Nicolai. Item **x Januarii**, in honorem divini Gregorii Nissni. Item **xvi** propter adorationem venerabilium principis Apostolorum Petri vinculorum. Item **xxxix** propter recuperationem venerabilis defuncti Gregorii Theologi. Item **xxvii** propter recuperationem venerandarum reliquiarum Chrysostomi. Item **vii Februarii**, in honorem magnifici martyris, Duci exercitus, Theodori. Item **xvi** in honorem premiis decorati Theodori tyronis. Item nonus **Martii**, nempe quod tum sanctorum quadraginta Christi martyrum memoria celebretur. Item vigesimus terius **Aprilis**, quippe quia tum magnificus martyr Georgius honoretur. Item secundus **Mäji**, in honorem magni Athanasii. Item octavus **Junii**, in honorem magnifici martyris Theodori, exercitus Duci. Item nonus, in honorem sancti Patis nostri Cyilli Alexandrini. Item vigesimus septimus, in honorem sancti & miraculosi Sampsonis. Item primus **Julii**, quia tum sanctorum, & miraculosorum anargyrorum illorum memoriam colimus. Item **ii** quia depositionem pretiosæ vestis Deigenitricis recolimus. Item **viii** quia magnificum martyrem Procopium festiviter honoramus. Item **xi** quia eximiam martyrem Euphemiam concelebramus. Item **xx** quia Prophetam Heliam honoramus. Item **xxvii** quoniam præmiis decoratum, & miraculosum Pantaleemonem festive colimus. Item **xxxii Augusti**, propter pretiosi cinguli immaculatae Dei genitricis depositionem. Atque hi quidem dies sunt, qui quodammodo feriati, & quodammodo non feriati sunt. §. 5. Quibus vero diebus propter nativitatem, aut creationem Principis feriamus, hos Imperatoria mea Majestas inter non feriatos collocat: præsentem Sanctionem a se inchoans, & per ea, quæ ipsam actura est, reliquos docens. Non perinde enim præsentis Constitutionis sermo quantumvis in illum attenit, atque Imperatoria Majestatis meæ actione persuadeat. Mea itaque Imperatoria Majestas, quibus diebus, tum in hanc vitam producta, tum divina providentia in Imp. designata est, ne feriati sint, neque ullas inducias in illis judicia habent, sanct. Sane, præter supra descriptos anni dies, omnes, fasti erunt, & in illis judicia judiciariisque sententiis consentaneæ executiones exercebuntur. Persuasum autem habemus, Deo etiam hanc Imperatoria meæ Majestatis Sanctionem fore gratam. Cum enim Pharisaos execraretur Dominus, neglectum ab ipsis dispercordia judicium ante omnia causatus est.

### 3. De synodica subnotatione Patriarchæ Lucæ de nuptiis septimi gradus cognationis.

Facta est autem etiam postea iussio potentis & sancti Imper. nostri & Domini, emissâ mense Mayo ejusdem Indictionis, quæ hæc in ejus parte decernit. Nostra itaque Imperatoria sublimitas hoc synodale de quæsto responsum, vel, ut vere dicam, Decretum consequenter divinis canonibus Legibusque civilibus editum, in posterum observandum, & perpetuo immobile ac immutabile futurum judicavit, eamdem de proposita quæstione habens sententiam, quam sanctiss. D. & universalis Patriarcha, & sancta ac divina Synodus.

### 4. De decisione Sisinnii de nuptiis duorum fratribus cum duabus sobrinis.

Cum hæc ita se habeant, & de ejusmodi contractu extorta esset controversia, emissâ est Novella Constitutio potentis & sancti nostri Imper. & Domini mense Junio, Indictione octava, quæ hæc in fine persequitur. Itaque, ut utraque recte serventur, & colantur, Imperialium & Sacerdotalem iussionum Majestas, Legumque & Canonum subtilitas, nec decisio omnino solvenda est, nec rursus permittendum, ut omnino exerceatur. Sed media quadam & regia, ut ajunt, via est incedendum, & utrumque est conservandum, nempe, & reverentia, quæ debetur Antistiti, qui illam decisionem conscripsit: & Imperatoribus, qui illius decisionis meminerunt: & videndum, ne quid, quod a Legibus Canonicibusque discrepet, suadeatur, quod hæc induxit decisio. Oportet enim contractum ea decisione introductum jam quidem etiam ante interrogationem perfectum non dissolvi, sed eos, qui sic matrimonio conjuncti sunt, poenis impositis gravari, judicio & examinatione illius loci Antistitis, & conservari conjugium. Quod si prius fiscitatum accesserint, non concedere sine convenientibus poenis & mandatis propter eam, quæ superius dicta est, reverentiam: Nec libere ac secure, nullaque ad eos retardando allata causa sciscitantibus permittere, sed cum mandato, vel ipsis potius ab Ecclesia dictæ decisionis, & eorum, quæ in illa decernuntur, commemorationem accipere. Et si decretum quidem honorare volentes, quæ etiam in eo comprehensa sunt, velint inconcussa manere, sunt omnino laudandi: sin autem quod ab eo vetitum est, velint agere, hoc eis facere permittetur, convenientibus tamen eis prius poenis impositis.

### 5. De nuptiis cum duabus sobrinis.

Quia autem aliquando ad Imperatoris tribunal agitatum est, an posset unus & idem duas sobrias in matrimonio habere: ut pote cum contractus ad septimum affinitatis gradum ducatur, edita est Imperatoris D. Emanuelis Comneni iussio, quæ statuit, hoc non posse fieri: quoniam maritus censeatur unius esse gradus cum uxore: & quod contractus ad sextum affinitatis gradum deviat.

### 6. De sententiis judicium.

His sic definitis, quæsierit quispiam, cum præsens canon definat in omnibus causis plurium sententiam vincere: Novella autem Constit. potentis, & sancti nostri Domini & Imperatoris D. Emanuelis Comneni mense Julio **xiv** Indict. anno 6674. promulgata constitutæ cum aliis & hæc nominatim: si omnes non sunt ejusdem sententia, sed aliqui dissentiant, si, qui dissentient numero sunt æquales, eorum præferetur sententia, quibus is, qui judicio præst, consenserit: utrum sequi debeamus?

### 7. Ne morientium Episcoporum diripiantur bona ab exactoribus.

Præterea tene memoria Constitutionem Septembri mense **xiv**. Indictione emissam, Imperatoris Domini Emanuelis Comneni, de non rapiendis ab exactoribus bonis, quæ ad defunctos Episcopos pertinuerunt, quæ quidem hæc complectitur. Res, quæ & in Dei contemnum, & ad Legum naturæ confirmationem ab iis, qui, ut ajunt, neque Dei vocem, neque hominum vindictam formidant, ut est verisimile, patratur, non ferenda omnino meo Imperio visa est, cum ad ejus aures pervenisset. Quamobrem eam, ut omnino Christiana professione indignam, meum corrigit imperium. Ei enim relatum est, in excessu e vita eorum, qui ubi vis Pontificatum gerunt in sanctissimis Dei Ecclesiis, partim quidem antequam funus efficeretur, partim vero, postquam elatum fuerit, eos qui in ea regione fisci procurementem exercent, ipsorum mortis prætextu, eorum cellas inhumane invadere, & immobilia, quæ sunt sub Ecclesiis, quæ eis obtigerant, & omnes quidem facultates, quæ in illis inventæ fuerint, auferre: universam autem ejusmodi immobilium exactionem facere, & ea alioqui omnino conterere. Imperium ergo meum, ne vel auditu quidem

serendam eorum esse audaciam existimans, ne cum damnum, & calamitas ex Antistitum morte ad eorum Ecclesias pervasevit, hi multo majorem calamitatem invehant, & ea sint, quam jam habent, molestia longe molestiores: statuit per hanc præsentem Constitutionem, ne ab iis, qui Ducales Magistratus gerunt, vel descriptions, vel aliqua alia publici juris exercent, tale quid in sanctissimas Ecclesias, vel earum immobilia, vel Antistitum cellas, in eorum morte deinceps amplius innovetur: sed si testati quidem moriantur Antistites, eorum voluntate, & ordinatione omnia fiant, quod ad ea attinet, quæ in eorum cellis inveniuntur. Quod si forte etiam intestati decesserint, omnia quoque fiant, ut sacris Canonibus, & Legibus videtur. Atqui in viduarum Ecclesiarum immobilia ne pedem quidem omnino immittet aliquis ex Ducibus, vel aliquibus aliis, ut dictum est: sed nec qualibet illinc pars quomodocumque apprehendetur: sed omnia a partibus ejusmodi Ecclesiarum in ipsis administrabuntur, quemadmodum de ea legitime & canonice edictum est: donec scilicet qui post mortuos Antistites in Ecclesias renunciati sunt, in regione fuerint, & eorum administrationem apprehenderint: debente scire eo, qui ad confirmationem alicujus eorum, quæ a præsenti imperii mei Constitutione decreta sunt, processerit, quod etiamsi Deus in tali ejus, tamque auctaci incepto in præsentia siluerit, omnino in futurum dignum ejus supplicium reservans: imperium tamen meum eum acerbius in præsentia aggredietur, penitus cum corporalibus subjiciens, & suorum membrorum truncationibus, bonorumque publicationi, & diurno exilio. Non solum enim ex eo simulum reddet Ecclesiaz, quod ei illo modo ab ipso auferendum est, sed etiam a fisco talis quantitas in duplum absque ulla commiseratione exigetur, perfectissima de ea re cognitione ab Antistite illius temporis data Mystico, qui debet etiam utraque administrare: de suo autem peccato omnino excusationem non habebit. Venit enim meum imperium, & eis per præsentem Constitutionem evangelice locutum est, quæ in sacro Cartophylacio, seu tabulario reponetur, sanctissimis Ecclesias opem latura, etiamsi ejus exemplaria sola competenti fide munita ab ipsis partibus insinuentur: ea enim archetypi vim habebunt, & exhibentibus aderunt ad æternam securitatem

#### 8. De homicidis voluntariis.

Quia autem de voluntariis homicidis mense aprilis, indist. xiv. a potentissimo, & sancto Imperatore nostro Domino Emanuele Comneno Novella edita est, eam manda memoria, quæ sic habet, post prœcium sic tractans. Jubet ergo omib[us], qui sunt in regionibus judicibus & militaribus, quæ sunt in eis copiis, & eorum ducibus, ubi fuerit cædes voluntaria, & tale quidpiam ausus fuerit aliquis, ut omnes statim excitentur ad apprehendendum homicidam, & eum vinculum mittant ad Imperatoriam circumspetionem: vel si ea absit, ad magnæ Urbis, quæ a Deo custoditur, Praefectum, ut ipse in careerem publicum introducatur, & tam in corpore, quam in bonis secundum Legum, & Novel. Constit. potestatem puniatur, & alia supplicia subeat. Scientibus his omnibus, si probatum fuerit, potuisse quempiam homicidam apprehendere, & non fecerit, eum non fecus condemnandum, quam si imperio insidiatus fuerit: sin autem latuerit fortasse quispiam, & ad sanctissimam magnam Dei Ecclesiam confugerit, postquam pœna ecclesiastica adversus eum processerint, ex legali observatione, præsente quidem in regia Urbe eo, qui Imperium obtinet, ab eo mittetur in Provinciam, quam censuerit, ut totum vitæ sua tempus illic transigat, nec illinc effugiat, ut recurrat in eum locum, in quo facinus execrandum admisit. Absente autem forte Imperatore, a Praefecto, ut dictum est, in aliquam remotiorem regionem exterminabitur, & illic vitæ sua tempus peraget. Sin autem non solum voluntarie, sed etiam præmeditato captoque consilio cædem perpetraverit, non cogetur ex prædicta regia Constitutione tondeti. Si enim eum, qui sua sponte ad tonsuram accedit, non eo ipso statim admittit Canonica subtilitas, sed ei sufficiente tempore attributo, & per ipsum mente ejus firma sit, an instabilis, examinata, si quidem hominem invenerit in eo, quod primum habuit, proposito perseverantem, & Monastico habitu, & corporis mortificatione se impigre præparantem, boni quoque operis ei assert complementum, eo in Monasticam institutionem statumque suscepit: quomodo non fuerit a ratione alienum, & a legibus spiritualibus dissidens, aliquem necessario tondere, eumque homicidam, quem Deus eo usque reliquit, ut etiam manus fraterno sanguine pollueret? Timendum est etenim, ne invitius vitam angelicam ingressus, eaque vi suscepta venerando habitu in Iudicium utatur. Homines enim leviores cum in dementiam incident, pessimas, & perverissimas actiones suapte natura aggrediunt-

tur. Loco ergo tonsuræ, statuit mea Imperialis Majestas, ut, qui voluntariam cædem capto consilio perpetraverit, in custodia tota vitæ sua tempore degat, & nec illinc quidem educatur iussu forte imperatorio per oblivionem exhibito. De eorum autem facultatibus fiat, sicut jussit Imperator memoratus. Quia autem plures homicidae, qui cædem meditato & consilio capto perpetravit, ad sanctissimam Dei Ecclesiam postea accedentes, non ut facta est a se, sed ut ad suam facit utilitatem, cædem confitentur, jubet mea Imperialis Sublimitas, ut a sanctissimo hujus temporis Patriarcha ad regionis Antistitem, &, qui ei subest, Clerum, quin etiam ad Provinciaz judicem cum poena scribat, &, quemadmodum factam esse cædem ex illius Rescripto intellexerit, ita eam quoque persequatur: & non eum, qui capto consilio cædem facit propter falsam suam confessionem, ad easdem poenas, & eadem supplicia admittat, ad qua, qui fortuito & improviso in tale aliquod crimen incidit. Si quis autem homicida, qui ad sanctissimam magnam Ecclesiam confugerat, & vel perpetuo exilio condemnatus, vel in vinculis esse, vel in perpetua esse custodia toto vitæ sua tempore iussus erat, solitus, inventus fuerit in loco, ubi cædem perpetravit, ambulare, vinctus ab exactore, qui est in Provincia, ad meam Imperiale Sublimitatem mittetur: & quæcumque quidem res tunc ei inventæ fuerint, exactori in lucrum cedent, & ei, qui homicidam indicavit, ex aquo divisa. Omnino autem cura erit iis, qui sunt in sanctissima magna Ecclesia illorum judicibus, ut cum convenienter Canonica severitate crimina cædis puniant, & tempora non temere contrahant, nec plus, quam par sit, in iis, quæ non decet, se lenes, & clementes præstent. Imperialis autem meæ Constitutionis exempla, ab iis, qui præsunt judiciis, descripta, missa ad Ecclesias, quæ sunt in Provincia, ibi reponentur, ut eorum, quæ sunt constituta omnes scientiam habeant, & faciant, quemadmodum eis comprehenduntur. Quod si is, qui capto consilio cædem fecit, tonsuram sua sponte elegerit, non absque probatione inter Monachos cooptabitur: sed sufficienti tempore accuratissime, & diligentissime ex Canonicis Constitutionibus examinatus, & probatus, in Monasterio vel invitus toto vitæ tempore manere cogetur, nec ei unquam exire permittetur. Monasterium autem erit omnino in alia Provincia, & non in ea terra, quæ mortui sanguinem dehiscens male suscepit.

#### 9. Ut Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ sunt ad Urbem, immobilia intacta sint a manu fisci.

Potenti ergo, & sancto nostro Imperatori gratia agenda sunt, quæ Apostolico Canoni consequenter, & præsenti Constitutioni Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ sunt ad Urbem, intacta, & integra immobilia conservavit a manu fisci, seu publici, per tres Aureas Bullas sua Imperialis Majestatis: quarum altera quidem Julio mense, ix. indictione, 6654 anno facta est, & constituit non laeti Monasteria, eo quod jura, quæ illis forte adsunt, claudicent: & secunda, quæ mense octobri, vi. indictione, 6665 anno emissæ est, & jubet Monasteria induisse, & inseparabiliter habere immobilia, etiamsi eis allegationes a census descriptore data sunt, quæ pro jure fisci faciunt. Hic autem sitæ non sunt, quod non perpetua, cautio, & utilitas Monasteriis ex iis suppeditetur, sed temporalis. Alia vero, quæ mense martio vi. indictione, 6666. anno edita est, & in omnibus secretis posita, quæ post prœcium hoc expresse edicit. Imperialis mea Sublimitas aliquot abhinc annis Auream Bullam emittere dispensareque prævenit, iisque, quæ in hac Urbium Regina sita sunt, Monasteriis, & iis, quæ sunt in Occidentali parte Steni, quantum est in littore & longius: similiter & iis, quæ sunt in sinu Nicomediaz, & usque ad ipsam Nicomediam, & iis, quæ sunt in insulis, Oxeia, Prima, Chalce, Plate, S. Glyceria, Principo, Antigonia, Tragonefio, Terebintho, S. Andreæ, S. Tryphoni, S. Liberio, Codonæ, Pelago, Coinsulz dimidio, Medicæ, & Sancto Demetrio, & iis, quæ sunt in possessionibus portuum, & usque ad complexum Athyræ: & (ut semel dicam) iis, qui circum circa Reginam civitatum exercentur, Monachis, viris & mulieribus, iis multa jura largita est, & in immobilium detentione, ac dominatione, quæ quibusdam juribus ad eos pertinent, firmam, & inconcussam possessionem concessit: quemadmodum Aurea Bulla hæc fusijs persecutur. Sed quoniam cavillatores quiescere non potuerunt, sed fisci, seu publici prætextu, eis gravem afflictionem intulerunt: imperialis mea Majestas Deum placare, & propitium efficere volens; ob ea, quæ ipsum ut homo offendit: simili etiam volens, magni Imperatoris, Christi scilicet, milites, qui vitam Monasticam propter ipsum elegerunt, & spiritus armaturam induerunt, socios habere, & stre-

nuos defensores adversus hostes, tam qui videntur, quam qui non videntur, bono illi fundamento tectum quoque proportione conveniens imponere voluit: & præsentem Auream Bullam ex ea causa edidit, per quam statuit, & definit, omnia immobilia, quæ hodie ab enumeratis Monasteriis possidentur, vel etiam silentiariis, & anachoreticis cellulis, vel lauris, & omnino Monasticis habitaculis, quocumque nomine vocentur, parœcias, prædia, conventus, tributa, vestigalia, portus, flumina, jura maritima, &c, ut semel dicam, quodcumque jus in possessione immobili consideratur, & in quocumque loco situm sit, in quo scil. hucusque non data est iis denotatio, seu designatio ab iis, qui sunt in ea regione census descriptoribus, quæ publicum in iis jus habere comprobet, habere dictas mansiones perpetuo dominio, ut Imperii mei donum, & liberalitatem: & eis deinceps semper in posterum dominari, etiamsi probabili, vel non probabili de causa aliqua eorum, vel etiam fortasse omnia hucusque detinuerunt: vel etiam sine ullo titulo, vel ex titulo quidem, qui male se habet, vel est fortasse falso confictus. Omnia enim, quæ ab ipsis in quocumque situ possidentur in Oriente, & Occidente, sive ex iis, qui eo tempore administrabant, Imperatoribus, sive sint ex fragmentis, sive ex commiserationibus, sive e loco motis, vel caducis, vel ex vilibus, quæ penduntur, diariis, vel ex vilibus calamitate vexatis, vel iis, quæ a potentibus vendita sunt, vel contra: vel ex correctione male factarum venditionum, & si in aliis locis iussa dari, in aliis tradita sunt, vel donata, non tradita sunt: vel tradita, donata non sunt, vel quovis alio modo male ab ipsis detinentur, inconcusse, & nullo negotio eis exhibito, a dictis Monasteriis vult meum Imperium ea in æternum possideri, ut meum mei Imperii donum a mea liberalitate, & munificentia profectum. Cum enim sola nunc apud ipsos immobilium inveniatur detentio, quæ pro omni titulo debet eis sufficere, est supervacaneum, de ulla aliis curiose investigare. In omnibus enim, quæ hodie possident, præterquam in iis, in quibus a publici census in ea regione descriptoribus documenta data sunt, quæ jus fisci, seu publici, ut dictum est, probant, debet præsens Aurea Imperii mei Bulla sufficere, & pro donatione, & emtione, & quovis alio titulo satis esse: etiamsi quodcumque aliud secretum in eis probetur. Nec cogentur Monasteria, ob ea, quæ nunc possident, immobilia, antiqua alia, quæ eis adsunt, jura proferre. Sed hac præsenti Aurea Bullæ scriptura pro omni jure utentes, ea contenti esse debent, ut, quæ eis, ut prius scriptum est, sufficere debeat & pro donatione, & pro traditione, & quovis alio jure. Sin autem invitante fortasse tempore voluerit ullum Monasterium iis etiam, quæ habet, juribus, & titulis uti, ea pro se afferens, a nullo penitus prohibebitur. Hoc enim non faciet necessario. Sin autem hoc propterea voluntate elegerit, nemo impediturus admittetur. Non solum autem ad probandum jus terreni, quod habent, Monasteriis sufficiet præsens Bulla Aurea: sed etiam in parœciis, quæ nunc ab eis detinentur, & prædiis, vestigalibus, conventibus, trajectoris solutionibus, portibus, flaviis, juribus maritimis, & quocumque alio jure, quod ab eis possidetur, præterquam in iis, in quibus documenta pro publico, (ut fæpe superius dictum est,) assumta sunt. Sin autem recensi iussa sunt, vel amputari quædam tributa, vel pacta, vel militia, vel publica, vel libellica, vel aliquid aliud, quod ad publicum pertinet, & non factum est, quod recensendum erat, vel habet aliquid aliud jus, quod apprehendi possit, Monasteria ex eo nihil lalentur. Quid autem opus est multa dicere, & enumerate, & exempli gratia afferre? Verborum multitudinem Imperii mei Majestas prætercurrans, ne quis in ejusmodi rebus callidus, & vafer nonnullis quidem dictis, ex iis causis, quæ immobilia concutiunt, alii vero silentio præteritis, verba arripiat, & more Judaico, literæ insuffat, & conetur in iis, quæ dicta non sunt, Monasteria agitare, & vexare, universali, & generali oratione, imperium meum vult, & decernit, ut, quod in iis, quæ hodie a Monasteriis possidentur, vel in ipsis sunt Monasteriorum Cathedris, pro publico cogitatum fuerit, ab aliquo vel nunc, vel quandcumque, Monasterio datum esse reputetur. Et simulac hoc cogitarit quispiam vel dixerit, id quoque statim apprehendet Monasterium, ut hodie a mea Imperatoria Sublimitate donatum. Quod enim ad ea attinet, quæ nunc possident immobilia, de quibus pro publico documenta non acceperunt Monasteria. Imperium meum vult unumquodque eorum publicum existimari, & perpetuam firmitatem obtinere, & a nullo de ea re disceptari, & quemadmodum publico nulla a se molestia negotiumve exhibetur, sic nec silentiaria, nec Monasteria, nec reliqua ab ullo publici curatore litibus agitabuntur, sive quis probabilem, sive non

probabilem causam afferat, sive cujusmodicumque sit, quod loquitur. Quisquis enim hoc facere aggressus fuerit, invalida & revera infirma dicere videbitur: & citra ullam misericordiam, ejus facultates fisco consecrabuntur, & ipse omnino infamis semper erit utpote qui Imperatori adverseatur, qui pie, ac religiose omnem molestam vexationem a Monasteriis in iis, quæ ipsis data sunt, per præsentem auream bullam amoveat, & per ipsam exiguum aliquod donum offerat pro innumerabilibus beneficiis, quæ a munifica ejus dextra accepit. Non licebit ergo, nec publici census descriptori, nec ullius secreti Praefecto, vel Peræquatori, vel in rebus agenti, vel alii persona, quæ publicum tractet, Monasteriorum immobilia describere, vel focos censere, & terræ mensuras investigare, vel parœcorum quantitatem, vel, quod terræ amplius possidetur, vel non justo pretio emtum est, vel injuste detinetur examinare. Sed quoniam Imperii mei mandato acta facienda sunt, eorum nomine, quæ hodie a Monasteriis detinentur, immobilium & parœcorum, tunc demum juste Monasterium molestia afficietur, & quod injuste detinet, ab eo auferetur, quando publici census descriptor ostenderit, Monasterium extra terminum occupare loca, vel parœcos, vel jus aliud. Nec enim licentiam habebunt Monasteria augere, & amplificare ea, quæ ab ipsis hodie possidentur, sive parœci sint, sive loci, sive *aut& pyra*. Verumtamen per hujusmodi occasionem non licebit exactori, aut descriptori ulli fumarium, vel mensorium, aut aliud quodpiam vestigial, quod ad ipsius officium pertineat, recipere ab immobilibus, quæ suprascriptis subjacent Monasteriis. Qui enim contra auctus fuerit, sciat se non tantum id, quod exigit, multiplicatum restitutur, sed & omnium bonorum publicationi cum infamia & civilium munium incapacitate subjectum iri. Sic enim vult mea Majestas, jam manifestatorum Monasteriorum immobilia omnia haberi ab unoquoque exactore quasi non subsint ipsius officio, vel potestati. Et quemadmodum exactores in non sibi subjectis Provinciis nihil juris habent, ut in iis agant administrarentur quicquam, sic nec in immobilibus Monasteriorum exactores Provinciarum, quibus ea subsunt, censemuntur exactores. Quæ igitur sient acta, & descriptiones ab iis, quos Imperium meum statuerit ad probationem eorum, quæ a Monasteriis possidentur, competentibus secretis propter notitiam insinuantur. Scire namque debent omnia Monasteria, si quod ex iis deprehensum fuerit, astutiam aliquam vel collusionem, vel dolum fecisse in immobilibus, quæ hodie ab ipsis possidentur, non solum nihil utilitatis ex hac meæ Majestatis Aurea Bulla consequitur, sed etiam casuarum jure concessio prædictis Monasteriis per præcedentem mei Imperii Auream Bullam. Deinde autem sustulit hæc Aurea Bulla omnem quoque iussionem: quæ ei adversatur, quæ scilicet facta est, vel fiet: & statuit, ut Monasteria suis quoque antiquis titulis utantur.

10. *De immobilibus magnæ ecclesiæ.*  
Et illi quidem antiquo & celebri Solomonis sapientia templo pro viribus offerebant omnes: & huic quoque sacro & maximo templo, quod est sub nomine Dei sapientia, qui ex Solomone & David secundum humanitatem derivatur, gloriose, & regaliter exstructo, ejus erat illud Solomonis præfiguratio, novæ inquam, Sion, arcæ sanctificationis, Servatoris nostri Ecclesie, (quam super Apostolicorum mandatorum petram adeo stabilem & immobilem Spiritus Sanctus edificavit,) multi diversa munera obtulerunt, quæ in immobilibus possessionibus spectantur, ad Orientem & Occidentem sita; sed nonnulla in insulis (sunt autem eorum, quæ dixi, per redēctionem multa, ne dicam plurima) publico ea applicare decreverunt ex diversis causis ii, qui sunt ubique, publici census descriptoribus, & in ejusmodi rebus exercitatis. Quoniam autem hoc ad mei Imperii aures frequenter delatum est relatione eorum, qui hoc magnum & divinum templum dispensant: statim nostra Potentia nihil cunctata, hanc præsentem Bullam huic venerabili domicilio elargita est, per quam ei pure donat & concedit nostra Pietas omnia, quæ ad fiscum, seu publicum quomodocunque peccitant, ex iis, quæ sunt in Oriente & Occidente, & ab eis in omnibus insulis possidentur, immobilia possessionibus, tamquam ejus donum aliquod & sacram oblationem, sive sint parœci, sive terra fortasse arabilis, vel pratensis, vel consita vitibus, vel hortensis, vel cuiusmodicumque prædia, sive in eorum dominibus agant famuli negotiatores, vel artifices, etsi castra in aliquibus eorum exstructa sint, vel aliquid aliud, quod ad publicum utique pertinet, inventum fuerit. Corrigit autem meum Imperium per præsentem Auream Bullam, quæcumque claudicare inveniuntur in iis, quæ dictæ magna Dei Ecclesie assunt viribus ac titulis in empi-

bus ejusmodi immobilibus, quæcumque ea fuerint, & omnia, quæ illis adsunt in Oriente, & Occidente, & in omnibus insulis, ut nunc a meo Imperio data, & ei concessa reputentur per præsentem Bullam Auream nostræ Serenitatis. Ob eam enim causam & exactas procedere descriptiones, quæ declarant cujusque generis immobilia, &, qui eis præsunt, incolas ac inquilinos: hoc amplius inventa in iis omnis generis *avv&ap;pyce* a locorum descriptoribus, eorumque subscriptionibus confirmari, & in perpetuam securitatem parti sanctissimæ magnæ Ecclesiæ tradi jubet nostra Majestas: ut omnia sint manifesta & extra controversiam posita, nec ullo tempore in disquisitionem revocentur a descriptorum quoquam vel inspectorum, vel peræquatorum, & eorum, qui aliter publica perscrutantur declaratarum descriptionum competentibus secretis, in futuram rei memoriam insinuandarum. Neque enim unquam eorum quis poterit ullo modo ingredi hujusmodi immobilia, aut ea in controversiam deducere & disquisitionem. Sed nec instrumenta in iis requirere, non fumarium, vel metretionem exigere, aut aliud ullum vestigal excogitatum in descriptorum lucrum: qui prohibentur insinuatione ipsa & sola præsentis Aureæ Bullæ mei Imperii, & descriptionum, quæ, ut supra comprehendens est, valitare sunt. Omnis autem facta jussio, sive de prius separatis, sive de fragmentis, sive de commiserationibus, sive de iis, quæ ab humilibus ordinibus, sive de iis, quæ incisionibus subjecta, sive de militiis affectatis, licet compensatio facta non sit, sive de non acquiescendo factis sine quantitate donationibus, sive de quacumque re edita fuerit jussio, & ulla in re repugnet præsenti Imperii mei Bullæ Aureæ, irrita erit & invalida; & si ne irrita fiat, in ea expressum sit, nisi nominatim pronunciatum sit. Omnium enim jussionum, quæ factæ sunt, notitiam habet mea Pietas, quas sigillatim enumerate supervacuum existimavit: &, ut expressim enumeratas & eversas, quod ad hanc Aureæ Bullæ orationem attinet, censi constituit mea Majestas. Sed nec alia ulla, quæ in posterum fiet jussio, huic præ scripturæ prævalebit: quinimo & illa, quatenus præsenti meæ Majestatis definitioni adversatur, irrita fiet, nulla rumque virium: licet, ne subvertatur, apposita sit clausula. Nisi nominatim pronunciatum sit, aut quævis alia distinctio. Ut autem sint manifesta, quæ adsunt sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ immobilia, omnia in præsenti Bulla Aurea aperte inscripta sunt: quæ habent hoc modo: in Thracia & Macedonia illa & illa, & deinceps enumerat omnia immobilia. Et post horum enumerationem ait, Judæi strobiliotæ ubicumque inventi, & excusso amplior capacitate triginta millium. Sancit Imperialis mea Potestas sanctissimam magnam Ecclesiam, & omnem ejus partem, habere jussum inviolatum omnino & inconcussum, cum exactiones fieri debebunt terminorum definitiones a locorum descriptoribus, ut sæpe dictum est. Verum eo prætextu non licebit prædictis descriptoribus fumarium exigere, vel metretionem, aut necessariorum dationem, ullam exactionem facere a quibuscumque immobilibus ejus. Sed absque ulla collatione & petitione prædictas finium descriptiones confident. Quod si quis ausus fuerit violare quidquam eorum, quæ præsenti Aureæ Bullæ oratione Majestatis meæ definiuntur, præter Imperialem indignationem, in periculum veniet subeundi poenam triginta librarum, quæ sine commiseratione a domesticorum secreto, ex aditione sanctissimæ magnæ Ecclesiæ exigentur: quippe cum firma ac munita sit præsens Aureæ Bullæ oratio, facta mense Augusto, 1. Indict. anno 6661. cui nostrum pietate præcellens subscrivit Imperium.

#### 11. De instrumentis omnium, quæ ubicumque sunt,

##### Ecclesiistarum ob possessionem immobilium.

Præterea autem emissæ est & alia Bulla Aurea Imperatoris, quæ dicitur medicatrix, utpote quæ forfasse medeatur titulis & juribus omnium Ecclesiistarum, quæ claudicant, Episcopatum scilicet & Metropolium, & ipsius magnæ Ecclesiæ, quæ etiam ad verbum sic habet: qui post Mosem fuit electi illius populi Imperator Jesus, Hierichuntis festinans munimenta, ac propugnacula diruere, Sacerdotibus jussit in circuitu tuba canere; & sic inimorum propugnacula mirabiliter dejecit. Imperio autem meo, quod novo populo a Deo electo præst, post illum Principem populi Servatorem & Ducem alium Mosem inclytum, dico Imperii mei dominum & genitorem, veluti quædam Hierichuntina mœnia, diruere properanti communis Christianorum inimici propugnacula, occidentalis dico draconis, qui in Sicilia tyrannidem exercet, & illinc adversus Romanum Imperium latenter prospicit, veluti spiritualibus quibusdam tubis, vebris Antistitutum Deum nobis quotidie placantium precibus, ad illum diruendum adju-

vantibus opus est. Sed & ipse divinus Moses, quando cum Amalech ptælium commisit, Sacerdotibus utrinque innixus, sic cum tugavit, & vicit. Sicut ille ergo, meum quoque Imperium, Antistitutum sustentaculo indigens, ad aciem adversus novum hunc Amalech propositam, & veluti quamdam lucis columnam novum hunc Israel præcedentem, & ejus gressus dirigentem, preces eorum habere volens: hanc præsentem Auream Bullam, & omnium Ecclesiistarum matri, novæ Sion, Dei sapientiæ habitaculo, & iis, qui sunt in omnibus insulis, & in Oriente & Occidente Antistitibus donavit: eorum pro Imperio meo preces magis confirmans. Reste enim scit meum Imperium, Regem non servari per multam potentiam, & gigantem non servatum iri in multitudine virtutis suæ: mendax autem equus ad salutem, ut dicam cum Propheta, & Psalmographo, & Dei patre. Volens enim, ut firmitas & stabilitas Ecclesiæ, quæ omnibus præst, servetur, & omnibus dictis Antistitibus sanctarum, quæ ubicumque sunt, Ecclesiistarum, & securitatem titulorum ac juri, quæ illis adsunt, in ipsorum immobilium detentione firmius constituens, & præterea corrigens, si quid in eorum juri, claudicet, & mero jure sit destitutum. Et non solum hoc, sed &, si quod jūs consequi debeant ad ejusmodi immobilium dominationem, detentionem, & proprietatem, id fortasse prius factum non est, hanc Imperii mei Bullam Auream ejus, quod deest, medicatricem illis tradidit, quæ veluti perfectum & integrum, & omnino inconcussum jūs ejus ostendit. Per quam confirmat quidem, & tutius facit, quodcumque jūs adest sanctis Ecclesiis, eique, quæ illis præsidet, in ipsorum immobilibus cuiusmodicumque fuerint, & ubicumque ea sita sint: & quod bonum est, melius fecit Imperii mei sententia & calculo. Quicquid autem est in eis, in quibuscumque quis spectatum id dixerit, sive in Aureis Bullis diversorum Imperatorum, sive in sigillis, & sive in simplicibus jussionibus, sive in resolutionibus, sive in actis, claudicans, & aliquatenus ab eo, quod est exactum, & a debita consequentia deficiens regalium jussionum & legum, corrigit, & decernit, dictis sanctissimis Ecclesiis nullum ex ea re præjudicium in æternum asserri; sed, quod in eis est infirmum & imbecillum, esse firmissimum, & nulla juris allegatione oppugnandum ab eo, qui velit aliquid pro fisco, seu publico dicere, ut quod præsenti Imperii mei Bulla Aurea confirmetur & valde corroboretur. Et, ut ex multis eorum, quæ cuiquam in mentem venire possint, pauca quædam Imperium meum memoria repetat: si forte donatio ipsius parœcorum sit sine certa quantitate, aut mensuram terræ, vel auturgia alia innovarint in hujusmodi possessionibus forte, quæ ipsis donatæ non fuerunt: aut donatæ quidem fuerunt, jussiones autem de his factæ, non sunt revocata: vel in prius designatis donatis ipsis jussiones de prius definitis non sunt revocata: aut jussionum principalium, quæ ipsis tributa sunt aliquæ nullo modo insinuata fuerunt; aut fuerunt quidem insinuatae in aliquo secreto, non tamen competente: aut insinuatæ perierunt, exempla autem eatum fide digna reperiuntur: aut acta, quæ procedere debebant, non processerunt, vel quæ processerunt, non sunt insinuata: aut, quæ fieri debuerunt rationum computationes, factæ non sunt, aut forte quamlibet aliam ob causam, sive ex parte, sive in totum jura sæpe dictis sanctis Dei Ecclesiis & matri omnium claudicant, & inde firmitatem suam non habent, etsi non, quæ id faciat, causa nominatim expressa sit, aut forte alia ipsis exhiberi debuerunt jura de hujusmodi immobilibus, velut quibusdam omnino procedentibus in ipsis (nam si documentum de quopiam ex possessis a se immobilibus nequaquam adquisierint, nihil a præsente Aureæ Bullæ oratione juvabitur,) nulla in re hæc omnia, & quæcumque alia cuiquam pro fisco certanti in mentem quandoque venerint, ladede umquam sanctissimas Ecclesiæ & Sophiaz Dei templum, reliquasque Metropoles, Archiepiscopas, Episcopas, poterunt in iis immobilibus, quæ ut (dictum est,) ad ipsas pertinent, ex quibuscumque documentis. Nam si nullum quæsierunt unquam jūs in aliquibus forte immobilium, quæ habent, ullam ex præsenti Aureæ Bullæ oratione sentient utilitatem: sicut nec, in quibus fiscus ad hodiernum usque diem possessionem habuit ex justa quopiam causa: in his enim omnibus juris observabitur exacta disciplina. Si quis igitur voluerit per avaritiam, aut quampiam aliam causam, ea contemnere, quæ hac chrysobulla mei Imperii oratione definita sunt: primura quidem sanctæ Trinitatis splendorem, cum ad tremendum sistetur tribunal, non conspicet: excidet autem & Christianorum parte, ut Judas duodenario. Et præter hæc execrationem sibi conciliabit primogenitorum sanctorum, iustorum & deiferorum Patrum, qui ab ævo præmortui fuerunt.

## 12. De citatione absentium.

**A**c in iis quidem consistit Canon. Tu autem scias, terminum, xxx dierum Edicta omnes actores, & reos accersiti, cujuscumque sint status, & cuiusmodicumque causa sit: secundum Novellam potentis & sancti D. nostri & Imp. mense Julio editam Indict. xiv anno 6674. Sed hoc quidem servatur, quando per libellum & reliquam judiciale consequentiam pecunaria vel criminalis causa adversus Episcopum illata fuerit. Si autem per ordinem adversus Episcopum vel Clericum aliqua ecclesiastica quaestio denunciata fuerit, quando nec libello opus est, vel aliqua alia judiciali consequentia, & qui accusatur, seu defertur, non adest: punietur secundum LXXIV. Canonem apostolicum, sicut condemnatur seu punitur etiam a Legibus contumax impudens.

13. De tonsura mulierum degere volentium in Monasterio,  
post trimestre facta.

**N**on est Lex scripta, quæ statuit, ut si qua tonderi atque dividorium facete cum marito velit, ne confessim tondeatur, sed in Monasterium abducatur, & trimestri spatio exploretur, num forte in ipso velut pugnæ initio tonsuram deprecetur. Sed ex inscripta consuetudine, sæpenumero in judicio probata & confirmata, receptum est, ne aliter mulieri tonsura permittatur, quam si post tres menses interrogata sit, an in hoc bono proposito permanere velit. Ac sane hac de re coram Imperatorio tribunali satis certatum est. Cum enim multi dicerent, debere Pyrrogeorgii illius uxorem confessim detonderi, quod firmi judicii esset, ut quæ etiam quadraginta annos haberet: ac vero nulla Lex scripta de trimestri isto ageret: a Deo coronatus optimus & sanctus noster Imperator longam consuetudinem, ut dictum est, confirmatam proscripta Lege suscepit: atque subnotatione confirmavit.

## 14. De foro Iudeorum.

**C**um moris esset, ut Judæi coram solo Steni Praefecto litigarent, optimus atque sanctus noster Imperator statuit, ut coram quocumque tribunalis secundum Leges causas agerent. At consuetudo pro nihilo habita est, ut quæ legitime non fuisset confirmata.

## ALEXII COMNENI SECUNDI.

## Ne Monasteriorum prædia describantur.

**I**mperium meum ex vestris precibus exaltatione indigens, & vestigiis Domini & Patris sui bona memoria volens infistere, illius quoque in eos, qui sunt Deo dedicati, beneficentiam imitari constituit. Ideo per hanc unam in vos beneficentiam, & Deo qui ipsum Imperatorem fecit, gratificatur, imperatorisque & Patris nostri sanctæ animæ: & nostræ potentiaz profectus in bonam basam ac fundamentum ponit, & vestra petitioni se inclinans, ut vim suam habeant, sintque stabiles, firmæ, ac immobiles, quæ de vestris Monasteriorum beneficiis Aureæ tres Bullæ emissæ sunt a sancta illius Majestate, decerat, & ut in eodem robore immobiliter permaneant, in quo a principio exposita sunt, & quæ iis consequenter processerunt traditionis acta securitatem referant, etiam si post biennium facta fuerint: licet fortasse quædam eorum in convenientibus secretis prius posita non fuere: iis quæ ad interpretationem vel subversionem virium Bullarum Aurearum particularem vel generalem edita sunt iussionibus, quæ in nostris monumentis declarantur, quomodocumque emissæ fuerint per presentem resolutionem inutilibus invalidisque redditis, & perinde, ac si ne essent quidem omnino, reputatis. Cessabit autem, & quæ hucusque vestris Monasteriorum immobilibus in Thracia & Macedonia sitis insultavit, Praetorici & Catephanici usus exactio, stuppa & axungia redemptio & exactio, tamquam per hanc presentem resolutionem excisa & radicitus extirpata, & eo redacta, ut nec sint, nec nominentur: Praetoribus, & exactoribus, & Catephanis, & iis, qui stuppa & axungia redemptio vel exactio exerceant, iisque qui illis ministrant, sic ejusmodi immobilia prætercurrere debentibus, perinde ac si ne in suis quidem omnino Regionibus sita essent, utpote quæ non sint a publico omnino requirienda in omnibus, quæ hoc modo decreta sunt ipsi, ab initio hodierni diei repetiti diurno, & deinceps in omne ac perpetuum tempus suscepit sine contradictione, nec habeantur pro descriptis in publicis actis: licet autem non descriptæ sint in actis, sed alio quo modo agnita, & sic recepta. Si quis autem præter ea, quæ constituta sunt his Aureis Bullis & præsentí solutione mei Imperii, fuerit australis aliud exequi in quibusvis possessionibus immobilibus vestrorum Monasteriorum, præterquam quod læsa Majestatis regebitur reus (sicut his Aureis Bullis definitum est,) & ab emi-

sessionum damnum sarcire compelletur. Monasteriis quoque omnibus vicissim curæ erit, tam iis, quæ sunt intra Urbem, quam quæ extra, sub terminis iis Aureis Bullis comprehensis Imperatoris, bona memoria, inelyti D. & Patris Imperii mei, ea perage, quæ in vestra suggestione declarata sunt: nisi velint tali excusatione privari, eo quod semel ea neglexerint.

## ISAACI ANGELI.

## 1. De Metropolitanis revocantibus ad se pertinentes Episcopas, jure Metropolis, aut Archiepiscopatus honoratas.

**Q**uoniam autem mense Aprili, xi. Indict. anno 6707. edita Aurea Bulla Imperatoris Domini Isaaci Angelii, quæ & Metropolitanis Episcopatus ad se pertinentes, & Metropolium, vel Archiepiscopatum honore donatos ad se revocantibus, & iis itidem, qui Imperiale circumspetionem privare conantur, ne Episcopatus in Metropoles & Archiepiscopatus erigat, secundum sibi datam a Superis potestatem, os occludit: a nonnullis quæsum est, quid sit, quod Canone comprehenditur, ut honore affectæ Metropoles solum honorem habeant, utpote aliis juribus veræ Metropoli servatis. Dicimus de eare dubitationem ab Imper. hac Constitutione dissolvi. Quæsum est, & post multas rationes allatas, hæc ejus rei gratia expressim comprehensa sunt: & quod universali ratione & generaliter exposita dispositione, Ecclesiæ, quæ iussione Imperatoria in altiorem thronum eriguntur, honore quoque dignas censerit oporteat, & electiones illic procedere ex forma Canonica, quæ in magna Ecclesia consecuta est, Metropolitanis & Archiepiscopis convenientibus, & Metropolitanum eligentibus: hoc & Imper. mea Sublimitas decernit, & hanc Constitutionem sancta quoque sequetur Synodus, ut quæ ecclesiasticum ritum accurate servet, & a Canonica rectitudine non excidat.

## 2. De nuptiis septimi gradus.

**S**cias vero, licet synodalis hæc decisio, & ipsam confirmans Imperatoria iussio, consanguineorum in septimo gradu matrimonium minanter prohibeat: Indictione tamen iv anno 6694. cum Dominus Basilius Camaterus Patriarcha esset, ab Imperatore nostro sancto Domino Isaacio Angelo iussionem esse factam, quæ statuit, ne ex dictis actis, matrimonio post illa inter longe felicissimos Cæsares, Dominum Joannem Cantacuzenum videlicet, atque germanam Imperatoris sororem, Dominam Irenen, contracto, quamquam in septimum consanguinitatis gradum referatur, prajudicetur: sed quantum ad illos, & quidem solos, quæ a Synodo atque Imperatore Domino Manuele de istiusmodi nuptiis determinata sunt, inefficacia sunt. Quod etiam a Synoda approbatum est.

3. Subnotatio inlyci Imperatoris Domini Isaaci Angelii, ut  
zondeantur electorum Pontificum uxores, facta die  
20. mensis Sept. 4 Indict. 5.

**L**egitimam Imperatoris sententiam non sine periculo delinquentes experientur. Ut enim dentibus acerba uva, oculis sumus nocet: sic iniurias iis, qui ipsa utuntur. Quorsum vero mihi hoc orationis spectat præludium? Cum sacratissimus Cyzici Metropolitanus invenisset Majestatem meam hodierno die iura reddentem, assidentibus sanctissimo Domino meo œcumeno patriarcha, & aliis sanctissimis Patriarchis, Antiocheno videlicet & Hierosolymitano, nec abessent, qui tunc in Urbe regia sacratissimi Pontifices erant, quorum nomina inferius continebuntur: Propositum est, quosdam eorum, qui ad Metropoles, vel Archiepiscopas electi & ordinati sunt, cum uxores ante ordinationem haberent, non recusare quidem, quin primarii Sacerdotii chrismate inungerentur: sed eorum uxores eundem rursum mundanum habitum induere, inverecunde agentes in iis ædibus, quas anteua habitabant, nec formineis introductas esse Monasteriis, sed nec Deo seiphas dedicasse, & vitam delegisse monasticam. Et hæc, quod sacri divinique Canonæ expressim moneant electos pontifices, a legitimis suis uxoris, quas ante ordinationem habebant, omni modo abstinere: ut non ex præcepto, sed propria voluntate eorum quisque continentiam, vel coelibatum proprium sibi deligit, propter dignitatem Sacerdotii, aut propter matrimonii honestatem, conjunctionem castam præferat. Hæc dicens, varios Canones allegabat, inter quos & quadragesimus octavus erat sextæ Synodi, hæc ad verbum comprehendens: Uxor eius, qui ad episcopalem dignitatem promotus est, communis viri sui consensus prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi providentia fruatur. Si autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur. Lecto igitur hoc Canone, Imperium meum

in hominibus agnoscens maxima dona dei a superna Clementia, & Regni, ac Sacerdotii divinitus concessam unctionem & dignitatem ex uno eodemque perenni fonte manare, humanamque exornare vitam, & amplificare: nihil etiam studiosius colens, quam Sacerdotum auctoritatem, qui regia & divina speculatione manus erigentes, Deum pro Christiana multitudine deprecantur, &, ut sacræ quædam anchoræ, Imperiale potentiæ sufficiunt: postquam etiam Canones contemni & infringi cognovis- set in bene instituta Republ. & quidem nostræ Potentiaæ, quasi non soluti essent creati Pontifices, qui suis uxoribus cohabitare non vererentur: non parum commotum est. Triste etiam quidam, nec gratum in piissimum chartophylacem mea intuens Majestas, definiit, cohortantibus ad id sanctissimis Patriarchis, uxores creatis Pontificibus ante Ordinationem conjunctas in muliebria Monasteria procul sita ab habitatione Pontificum sine dilatione induci, tondereque eas, & canonice apud Monachas degere, in quo Monasterio comam deposuerint, aut, si ipsæ consuram recusent, qui eis ante creationem juncti erant matrimonio, Pontificali Solio, & Dignitate priventur, & in eorum locum alii sufficiantur. In posterum autem, qui ante creationem legitimam uxorem habebit, non aliter ordinari, quam si communij conjugum scripto consensu, & placito a se invicem separantur, & mulier monasticam vitam amplexa sit. Sic enim creatione sine offendiculo & damno juxta sacros & divinos Canones procedet, semora ab omni sacerdotalis ordinis reprehensione. Assidebant ad meæ Majestatis tribunal Pontifices Cæsareæ, Ephesi, Cyzici, & alii non pauci.

## JOANNIS DUCAE,

*De vestibus externis prohibitis.*

**A**lterum vero illius imperatoriæ providentia specimen: quod cum videret Romanas divitias in peregrinas ac sumptuosas vestes, Sericas, Assyrias, Babylonicas, atque Italicas, vario ac solerti artificio confectas, effundi: decreto sanxit, ne quis subditorum

iis uteretur, nisi ipse, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet: sed iis contenti essent, quas Romanæ Provinciæ, ac manus præberent. Necessiarum enim rerum usus est immutabilis: & subditi quantum licet, Principum sequuntur cupiditates, idque Lex eis est & honor, quod Principibus visum fuerit. Proinde cernere erat illa quoque brevissimo tempore viluisse: nobilitatis autem limites Romanis vestimentis definitos: & divitias domo, quod ajunt, domum ferri.

MICHAELIS PALÆOLOGI.  
*De Primatu, & appellatione, & commemoratione  
Papæ Romæ.*

Proinde tot difficultibus circumventus Imperator, ac pene ad desperationem compulsus, Legatos ad Papam mittit, de ineunda veteris & novæ Romæ Ecclesiarum concordia, modo Caroli expeditionem averteret. Ea Legatio a Pontifice benigne audita est: qui ea se facile, quæ Imperator petivisset, conjecturum est pollicitus: statimque suos Legatos illis adjungit, qui concordiam conciliarent, atque amplecterentur. Cujus hæc tria capita fuerunt: Primum, ut in sacrorum voluminum hymnodiis, Papæ cum quatuor aliis Patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceret cuivis Romam veterem, quæ curia major & perfectior esset, appellare. Tertium, ut illi principatus in omnibus deferretur.

INCERTI IMPERATORIS.  
*De Episcopatibus detentis a laicis.*

Episcopatus quidem Episcopis nullo tempore claudentur, quominus, qui electi sunt, ad ea revertantur: quemadmodum & in Megarensi Episcopatu factum est, qui tot annis, quot hominum memoriam excedunt, deletus extinctusque fuerat, & per iussionem Imperiale, Synodalemque actum, Metropoli Athenarum paullo ante rursus servatus est.

## IMPERATORIARUM CONSTITUTIONUM FINIS.

CANO.